

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
34 A
8

Doppia – I



[illegible]


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
34 A
8

1

CERTAMEN TRIPLEX

A TRIBVS SOCIET. IESV

EX PROVINCIA ANGLICANA

SACERDOTIBVS

RR. PP. { P. THOMA HOLLANDO, P. RODVLPHO CORBÆO, P. HENRICO MORSÆO,

INTRA PROXIMVM TRIENNIVM


PRO AVITA FIDE, RELIGIONE, SACERDOTIO,

Contra Veritatis, Pietatis, Ecclesiæque hostes, susceptum fortiter, decertatum constanter, confectum feliciter


LONDINI IN ANGLIA.

Auctore Ambrosio Corbeo S. J.

Certamen forte dedit illis vt vincerent, Sap. 10. v. 12.



Antuerpiæ, apud IOANNEM MEVRSIVM, 1645.
Superiorum permissu.



PRÆFATIO.



Nno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo iam penè exacto, haberi in Angliâ cœpta sunt, quæ etiamnum perseuerant, publica Regni Comitia, quod Parlamentum vocant. Quo ex tempore quàm multiplicia illic, quamque illustria extiterint, hodieque existant Catholicorum hominum pro Apostolica Romanaq; fide certamina, etsi animo fortassis

concipi vtcumque potest, explicari certè verbis non potest. Et ego, si id agerem, vt afflictissimum per hosce annos Orthodoxorũ apud nos statum hominibus exteris in cõspectu ponerem, si is mihi animus foret vt eorum multiformes ærumnas, variamque circumsistentium vndique calamitatum faciem repræsentarem lectori, ingens planè opus aggrederer, vixque alterâ Iliade claudendum. Etenim, quò me cumque verterem, incurrerent in oculos non seueræ tantummodò legum priorum pænæ, solito minaciùs

inten-

intentatæ; non inueterata dumtaxat hæreticorum aduersus bonos omnes odia, multò quàm antè acerbius exaggerata; sed & nouæ se obiicerent malorum accessiones, direptiones fortunarum, expilationes domorum, proscriptiones, carceres, exilia, & non vnius generis immaturæ mortes, quà insidiis proditorum, quà maleuolorum calumniis, quà vi apertâ, viris innocentibus indignissimè illatæ. Quem ego vniuersum miseriarum cumulum illi credo vni notum esse qui cuncta nouit, neque in apertum

tum aliquando, nisi illo die qui omnia aperiet, proferendum: quando & illud palàm fiet, quàm multi hoc tempore, solius fidei ac religionis odio, quasi in occulto vitam amiserint, eoque vno nomine, etsi priuatorum hominum telis appetiti nullâ iuris cuiuspiam formulâ seruatâ, victores tamen ex arenâ decesserint, ad palmas & coronas ab Agonotheta Deo, plaudente olim cælo, euocandi.

Atqui, vtinam interim, in quos publicè prorsus ac veluti pro legitima potestate sæuiit Hæresis, vel

his

bis ſaltem publicum non deeſſet debitumq́ue meritis præconium! Utinam, quos ab hoc vltimo Regni Ordinum Conuentu ſanguinem in Eccleſiæ causâ palàm profudiſſe Anglia ſpectauit, eorum itidem laudari virtutes, rerumq́ue geſtarum gloriam celebrari terrarum orbis audiret! Omnino enim quindeni fuere ſanctiſſimo Sacerdotio venerandi, è Clero ſæculari ſeptem, ex ſacra D. Benedicti familia duo, Franciſcani tres, totidemq́ue è minima Societate IESV, *qui Lancaſtriæ, Eboraci, Dorceſtriæ, Londini,*

 diuer-

diuersis Insulæ vrbibus, intra Nonas Augusti anni huius sæculi quadragesimi primi, & Calendas Februarias iam proximè elapsas, venalem sibi morte vitam, vitæque beatioris immortalitatem depacti, animas pro Fide constantissimè oppignerarint: carceres, vincula, ignominiam, suspendium, barbaram denique totius corporis carnificinam, non alia de causa, & ne alia quidem vel ad speciem prætexta, passi, quàm quòd Romani Religiosique Sacerdotes essent, ad salutem ciuium suorum procurandam,

dam,

dam, peregrè in patriam reduces.

Equidem vehementer cuperem narrari à me posse quæ singulis horum contigerint memoratu digna, in extrema præsertim Concertationis ac vitæ periodo, tam Deo ad gloriam magnifica, tam illis ad meritum fœcunda, tam aliis ad exemplum fructuosa. Sed cumulatiùs id spero & meliùs de vnoquoque fiet à sui Ordinis hominibus, quibus par est certiùs esse perspecta, magisque explorata rerum omnium adiuncta. Ego autem, quas mihi partes Obedientia imposuit, exequi vt

potero conabor; quæque de tribus Societatis nostræ Sacerdotibus, Fidem, Religionem, Sacerdotium, intra minus triennio spatium sanguinis profusione sui Londini testatis, quæ de his, inquam, ab oculatis testibus, & dignissimis fide auctoribus accepi, ea paucis simul descripta ideò nunc publici iuris faciam; vt intelligant faciliùs vniuersi, in his Christi nobilissimis Olympionicis, ecqua certaminis causa, quæ progressio, quis exitus, & pugilum denique ipsorum quæ præcipuæ virtutes extiterint.

Quod

Quod dum ago, illud ante omnia testatum cupio, saluâ me sanctionum Apostolicarum reuerentiâ, quas ex animo veneror, scripturum quæ scribo; neque aliam in præsentia Narrationibus hisce auctoritatem asciscere, quàm humana afferre solent in re graui testimonia: reliquo interim totius rei iudicio Romanæ Sedi, & iis ad quos spectat, integro planè relicto.

CERTA-



P. THOMAS HOLLANDVS *Anglus è Soc.tis* IESV *Londini*
22. Decemb. 1642. à Puritanis ſuſpenſus, et in quatuor
partes diſſectus, eò quòd Sacerdos eſſet Cath.æ Eccleſiæ Rom.

CERTAMEN PRIMVM R. PATRIS THOMÆ HOLLANDI E SOCIETATE IESV

Læto victoriæ exitu termina-tum Londini in Angliâ 22. De-cembris ſtylo nouo 1642.

R. THOMAS HOLLANDVS in Prouincia Lancaſtrenſi ortus anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo, admodùm adoleſcens tranſmiſit ex Angliâ in Belgium, litteriſque humanioribus in Audomarenſi Anglorum Seminario ſexennium circiter impendit: *Educatur Audomari.*

mori-

moribus ſemper atque ingenio quietus, alacer, pius, eaque inter ceteros exiſtimatione virtutis, vt illi ſæpiùs condiſcipulorum & conſodalium ſuffragiis, Sodalitij Parthenij Præfectura mandaretur. Quo in munere non præibat tantùm exemplo, ſed vel tum ſingulari gratiâ & peritiâ quadam pollebat in æqualibus ſuis ad pietatis officia familiariter cohortandis. Quòd ſi quid publicè, vt fieri ſolebat, vel è loco ſuperiori pronuntiandum foret, vel in ſcenâ ac theatro repræſentandum, is nimirum primarum erat partium actor, eaſq; cum inſigni approbatione ac plauſu ſuſtinebat.

Mittitur in Hiſpaniam. Poſtquàm autem Rhetoricæ ſtadium feliciter decurriſſet, miſſus eſt à Moderatoribus menſe Auguſto anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi primi Valliſoletum in Hiſpaniam, vt reliquum illic ſtudiorum curri-

curriculum conficeret. Interea temporis dum Philosophiæ is vacat, Carolus, tunc Walliæ Princeps, nunc magnæ Britanniæ Rex, ingenti Hispaniæ totius gratulatione Madritum peruenit, nuptias cum Infantâ Mariâ initurus. Expedire visum, vt iuuentus Anglicana, quæ Catholici Regis munificentiâ in eiusdem Regno disciplinis informabatur, specimen aliquod ederet haud mediocris lætitiæ, quam ex incolumi Principis sui aduētu perceperat, quamque speratæ illæ nuptiæ, in eximium Britanniæ commodum omnium opinione cessuræ, in horum præsertim adolescentum animis creauerant. Id officij Thomæ Hollando, quo de agimus, demandatum; isque eâ re Vallisoleto Madritum missus Serenissimo Principi suo Carolo gratissimorum obsequia animorum, & charisteria vota, reliquorum nomine detulit, eumdemque

demque Latinâ Oratione sic compellauit, vt eam & gratam sibi accidisse Princeps ipse significaret, & assistentium corona Procerum secundâ admurmuratione exciperet.

Admissus in Societatem quidem egerit ante missionem in Angliã.

Exacto iam ferè Philosophiæ triennio, Flandriam repetiit, atque in Societatem Iesv in Wattenensi Probationis Domo cooptatus; Theologiæ postea, quamdiu valetudo ferebat, in Collegio nostro Leodiensi studuit, ibidemque Sacerdotio initiatus fuit. Deinde in Seminario Audomarensi singularem planè atque vtilem admodum operam impendit in Confessionibus Conuictorum excipiendis, moribusque eorumdem temperandis. Et tribus tunc quidem potissimè documentis, vt animaduersum est, religiosa eius virtus inclaruit, iuuenumque animos non mediocriter affecit. Primò enim, tametsi ad

exigen-

exigendam disciplinæ obseruationē per-attentus esset, eam tamen attentionis curam perpetuâ quadam oris alacritate, lenitate morum, sermonisque comitate ita temperabat, atque eum adhibebat prudentiæ modum in eorum erratis, qui minùs obseruantes domestici ordinis & refractarioli forent, vel modestè redarguendis, vel vbi rès poscebat, dissimulandis; vt & officio non deesset suo, & citra offensionem, æquabilem in omnium animis existimationem beneuolentiamque retineret. Accessit deinde ad sensum pietatis in tenella pectora insinuandum efficax solertia. Etenim in omnem excubabat occasionem sermonis de rebus piis diuinisque miscendi: Finem hominis, quæque vitam hanc consequuntur, seu beatæ æternitatis bona, seu miseræ mala, inculcabat identidem; idque tam impenso tamque

constanti studio, vt quoties se in circulos
daret colloquentium iuuenum, animos
illi extemplò ad eiusmodi sermonum cæ-
lestes satus accipiendos vltrò compara-
rent. Atque hanc eius in spiritualibus col-
loquiis conserendis industriam non in
Belgio tantùm, verùm in Angliâ quoque
multi postea obseruarunt; nec defuere sę-
culares homines, qui eum propterea vel è
rebus spiritualibus quasi concretum esse
& conflatum dicerent, vel piorum libro-
rum Bibliothecam nominarent. Quam-
quam non is temerè ista, non intempesti-
uè ingerebat, sed tempore ac loco suo
promebat, prout auditores nactus esset,
quorum in animis sementem hanc haud
frustra seri putaret. Postremò adolescen-
tibus, quibus erat à sacris Confessionibus
(erat autem plurimis) omni solatij gene-
re mitem se, benignum, ac verè patrem

præſtabat. Si quos fortè à delictis enunciandis, vt vſuvenire ſolet, vel deterreret verecundia, vel importuna mentiũ anxietas, quoquo modo impediret, hos ſingulari ad conſcientiam exonerandam artificio incitabat; idque ſi fidenter facerent, paratum ſe profitebatur ſuam pro illis animam oppignerare, partemque pœnitentiæ indicendæ in ſe recipere. Quod & frequenter factitabat, verberatione corporis, atque id genus aſperitatibus, non eorum modò quibus confitentibus aures dederat, ſed & aliorum quoque causâ ſuſceptis, quos cerneret interdum detrectare diſciplinæ domeſticæ iugum, atque ægrè in officio contineri. Quibus nominibus vix credibile eſt, apud Seminarij iuuentutem quàm is gratam ſui, quamque diutinam poſt ſe memoriam reliquerit: vt qui eum numquam viderant, ex aliorum

tamen crebrâ commendatione,ceu virum eximiè Religiosum,summeque amabilem cognouerint.

In vineâ Anglicanâ laborat. Postquam in huius Præfecturæ fructuoso magis quàm specioso munere, egregio operæpretio aliquamdiu versatus fuisset, ac deinde Gandaui in tertiæ Probationis Domicilio, dum Ministri officio laudabiliter fungeretur, Vota publica Coadiutoris spiritualis formati anno 1634. 28. Maij fecisset, anno proximè consequenti cùm inualetudinis ergô, tum aliis de causis in Angliam destinatur: vbi valetudine quidem nihilo secundiore est vsus, religiosâ verò morum integritate, pietate, atque officiosæ charitatis alacritate eos, quibuscum versabatur, ad virtutis studium haud mediocriter incitauit. Commoratio eius in Angliâ eiuscemodi plerumque fuit, quæ affecto corpori atque imbe-

imbecillo leuamenti parum, patientiæ certè materiam vberem præberet. Delitescere quippe magnâ ex parte coactus, cùm habitationis ratio in publicum prodire perrarò sineret, simul ciborum appetentiam ferè omnem amisit, simul debilitate fastidioque stomachi vsque adeò laborauit, vt alimenti diurno tempore parum admodum, vespertino verò vix quidquam omnino capere posset. Hinc duplex incommodum consecutum: vt & noctes plerumque insomnes duceret, & in occupationibus diurnis, sine dolore capitis permolesto, diu persistere nequiret. Interea temporis his annorum aliquot incommodis cõflictato, nec è latebris efferre pedem interdiu per menses integros, nec in horto priuato inambulare, nec apertis prospicere fenestris, auramque liberiorem captare licuit. Verumtamen, ne

receſſus faſtidioſi moleſtia, atque ægritudinis ingraueſcentis incommoda fructu carerent ſuo, diurnas ille & nocturnas horas ſolertiſſimè partitus, patientiæ ſuæ palæſtram quà opportunâ precum atque occupationum varietate ſibi non iniucundam, quà piis cum domeſtico cætu colloquiis, familiæ in qua verſabatur perutilem reddebat. Quinetiam vrgente Chriſti charitate, arteſque pias iuuandi proximos ſolerter excogitante, veſperè interdum vbi ſe tenebræ offuderant, interdum diluculo cùm ſe alij nondum è cubilibus mouiſſent, ad Catholicos, qui Sacerdotes alere aut non audebant, aut nequibant, omni quà poterat ope conſolandos, inſtituendos, Sacramentorum adminiſtratione corroborandos excurrebat. Et erat ſanè in habitu formaque corporis variam in ſpeciem effingẽdis mirus

arti-

tifex: capillitium, barbam, amictum,
iaque identidem immutabat; adhæc,
nguæ Gallicæ, Flandricæ, Hispanicæ,
iarum erat haud imperitus, nunc huius,
unc illius, pro re natâ, vsum adhibebat;
uin & vernaculi quoque sermonis, ex-
rorum hominum more, inscitam pro-
untiationem aptè, planè, appositeque ad-
dem imitabatur; sic prorsus, vt quoties
ersonam induisset alienam, etiam à fa-
niliarissimis persæpè, donec se prodidis-
et ipse, non agnosceretur. Quo sanctæ si-
nulationis artificio operam apprimè ne-
cessariam vtilemque nauauit. postremo,
præsertim vitæ biennio, quando turbu-
entissimis hisce temporibus ad opem
Catholicis Londinensibus afferendam,
iisque nominatim qui à spiritali subsidio
magis destituti forent, studium enixè
suum curamque conuertit.

Captus Londini in carcerē coniicitur.

Et diu quidem successit felicissimè, ingenti animarum vel solatio, vel lucro; ipsius autem immortali promerito, qui insigni interim alacritate atque ardore charitatis, nullum aut refugeret laborem, aut periculi speciem timeret. Tandem tamen haud effugit exploratorum, qui omnibus eum vestigiis insectabantur, sagacissimam astutiam. Quarto enim decimo Octobris die anni 1642. captus à quodam ex isto sanguinario venatorum grege, atque ad ædes primùm apparitoris primarij ductus, in *carcerem* deinde *nouum*, quem dicunt, qui in Londini suburbiis est, conicitur. Iactabant quidem vulgò emissarij illi, Sacerdotem eum esse, debitoque Sacerdotibus suspendio periturum; sed quia exploratè id scire, certísve probare indiciis non poterant; perstitit Pater, quam iam asciuerat Catholici laici personam, eam deinceps

eps tueri; adeoque vt Sacerdotium ce-
ret, agendi loquendique rationem, quò-
l licuit, ad laici morem accõmodans, dis-
itationes de rebus controuersis decli-
bat, cauebatque studiosè ne quâ re do-
rinam, aliásve facultates suas proderet.
anc ille simulationem censuit adhiben-
m, partim ne vitæ suæ nimiùm prodi-
s videretur, (quam etsi in causâ adeò
oriosâ profundere paratissimus foret,
imo tamen discrimini, sine necessitate,
n existimauit exponendam;) partim ne
ntrauen iret conatibus amicorum, siqui
im fortè in libertatem vindicare, vel ad
atium suum, vel ad Orthodoxorum af-
torum auxilium molirentur.

Vixit igitur in carcere, vt dicebam, laici *Vita*
; tam insignitâ tamen in victu, somno, *eius*
uisque cæteris moderatione, tamque *ratio*
gulari morum innocentiâ & comitate, *in carcere.*

vt animos sibi breui deuinxerit omnium qui in eâdem custodiâ tenebantur, quamuis eorum haud pauci à Catholicæ cultu religionis plurimùm abhorrerent. Lecto ad quietem capiendam rarissimè vtebatur: noctes enim nunc in cathedrâ interquiescendo, nunc in cubiculo sedatè spatiando, precando, res diuinas commentando ducebat; idque detractis calceis, ne quietem aliorum interturbaret; factique sui ratione redditâ, quòd somnum capere nequiret. Interdiu porrò opportuna colligendo animo tempora captabat, seque in cubiculum quodpiam recipiens, vel in hortuli recessum, sacrarum illic Horarum Officium, si quando id sine nota posset, persoluebat. Quod erat diei reliquum, vtili collocutione, prout aliàs consueuerat, transigebat. Verbo complectar: tantâ cum omnium satisfactione gere-

gerebat sese, vt Catholici affirmarent; nullum eius dictũ factúmve à se animaduersum, quod virum sanctum non deceret; Protestantes verò impensè doluerint, vbi morti postmodum adiudicatum audiuerunt. Neque ex his defuere qui profiterentur, numquam se hominis consuetudine meliùs morati, magísve innocentis vsos; & verò inquiebant si eiuscemodi omnes Iesuitæ forent, non intelligere se quamobrem iure eis quisquam obtrectare posset.

Iam duos omnino menses in carcere prædicto hæserat, cùm stato Iudiciorum tempore propiùs imminente, ad alium transfertur carcerem, quem *Nouamportam* appellant. Inde autem 17. Decembris ad Curiam Iudicialem productus, de Sacerdotio publicè accusatur. Accusatores quatuor fuere, quorum nominibus parco: *Accusatur Sacerdotij.*

vti-

vtinam & illis parcat Deus ! vtinam eos omnes ad Ecclesiã denuò reuocet ! vnum præ cæteris, qui, cùm nobili loco natus, cùm Sacerdos, cùm Religiosus esset, non minùs turpiter à familiæ dignitate suæ, sanguinisque honore, hoc facto desciuit, quàm paulò ante à fide Religiosisque Votis per fœdam miseramque Apostasiam defecerat. Sed audiamus, si lubet, quid contra *P. Hollandum* iurati hi testes attulerint, quo eum Sacerdotij, quod vnum agebatur, conuincerent. Reuera enim, præter mendacia, & quæ ad rem nihil attinere omnes apertè cernerent, obiecta sunt duo tantùm: primum, quod compertum scilicet haberent vsum eum fuisse consuetudine cuiusdam Domini Smithæi, quem Sacerdotem extitisse ac Iesuitam aiebant: alterum, quòd ipsimet eum probè nouissent, vidissentque operam stu-

diis dantem in Seminariis transmarinis, vbi mos esset Sacris deinde initiari. Respondit Pater, leuia hæc nimiũ argumenta esse,& infirma in re tam graui testimonia;quæque accusatores ipsos,si quid efficerent,perinde ac se, in crimen vocarent. Nam & illos partim cum eodem Domino Smithæo consuetudinem habuisse,(& quid ni licuit?) partim quoque in iisdem Seminariis studuisse. Sed non continuò si quis trans mare philosophatus est, Sacerdotio is præditus censeri debet. Quis enim nesciat plurimos è Seminariis prodire, qui in ordine tamen laicorum permaneant? multa quippe interuenire,quæ studiorum cursum aut diu interrumpant, aut omnino abrumpant. Denique studuisse quidem se ad biennium aut amplius in Hispaniâ , sed affectâ semper valetudine,& si credere iurato velint;Sacer-

dotium illic non ſuſcepiſſe. Quod ſi probari cõtrarium poſſit, non ſe vtique mortem recuſare. Quæſiuit hoc loco Iudex, paratúſne etiam eſſet iurare, Sacerdotem ſe nunc non eſſe. *Non eſt;* inquiebat Pater, *ea inter Anglos conſuetudo, vt qui ſceleris accuſatur, ſcelere ipſe ſemet iureiurando purget; verùm aut euincendum eſt certis indiciis crimen, aut reus liber dimittendus.* Iuſta enimuerò ac probabilis tota hæc defenſio eſt viſa; quam paulò etiam pluribus, & vt gratiâ in dicendo valebat, cum magna auditorum approbatione proſecutus is eſt. Verumtamen *Duodecim-Viri* (quorum eſt in Iudiciis Anglicanis decretoriâ voce de crimine ſtatuere; pœnæ autem conſtituendæ partes Iudici relinquere;) hi, inquam, cùm è conſeſſu, vt fit, in vicinum conclaue ſoli ad conſultandum abiiſſent, redierunt paulò pòſt, eumque *Sontem*, ſeu

Sacer-

Sacerdotij conuictum renuntiauerunt: mirantibus plerisque qui aderant, & Prætore Londinensi, itemque alio quodam è subselliis disertè profitentibus, se, si *Duodecim-Virûm* officio fungi debuissent, tale ex tam leuibus probationibus suffragium laturos non fuisse.

His tunc feriâ quartâ gestis, discessum est. Sabbato autem insequente, qui erat mensis eiusdem dies vigesimus, rursum ad Tribunal euocatus Pater circa horam octauam matutinam, rogatusque quid afferre pro se posset ad depellendam à ceruicibus mortis sententiam, paucis in hunc modum locutus fertur: *Domine Iudex, considerabit etiam atque etiam Dominatio Vestra, priùs quàm de capite meo iudicium faciat, quæ contra me hactenus prolata testimonia sunt, quàm ea parum firma, quàm tenuia, quàm inualida fuerint. Ignorari autem à te, legum nostrarum*

Condemnatur.

ſtrarum perito, non poteſt, vt rei capitalis, quâ de nunc agitur, iure condemner, ſecundùm inſtituta patria id poſtulari, vt teſtes ritè iurati certum tempus locumq́; deſignent, quando & vbi Ordine Sacerdotali initiatus ſim; vel ſibi ſaltem conſtare probent, exercuiſſe aliquando me functiones Sacerdotij, conciones habuiſſe, Confeſsiones excepiſſe, Miſſam celebraſſe. Cæterùm nihil huiuſcemodi obiectârunt accuſatores mei, nec, vt puto, obiicere etiamnum poſſunt; neque nomen vllius deferre, cui vt ritum religionis immutaret ſuaſerim, cuíve fraudem vllam fecerim. Equidem fateor, inquiebat Iudex, nihil me in vitâ moribúſve tuis diſpicere, quod reprehendam; verùm ſontem te, vt vides, ſuſceptique contra leges Sacerdotij reum declarauerunt *Duodecim-viri*, ex præſumptione (vt aiunt) quæ legitima certè & locuples probatio eſt; mihiq́ue adeò aliud non reſtat, quàm vt ex legum earumdem præ-

ſcripto.

ſcripto decretam dudum in Sacerdotes, tanquam in proditores, pœnam, pro ratione muneris quo fungor, id quod facio, de Tribunali pronuntiem. Ad carcerem ergo, vnde huc adductus es, remigrato; inde ad locum ſupplicio deſtinatum pertrahitor; ibique donec ſemimortuus fueris, ſuſpenditor; ſemimortuo viſcera extrahuntor, igneque abſumuntor, caput amputator, reliqua membra quatuor in partes diuiſa, in quatuor conſuetis vrbis locis affiguntor; & ſic Deus tui miſereatur. Quâ acceptâ mortis ſententiâ, cum gratâ humilique lætantis animi ſignificatione ſuccinuit Pater, *Deo gratias*; reductúſque confeſtim ad Socios in *Noua-porta* captiuos, inuitauit eoſdem amantiſſimè vt vnà ſecum *Te Deum laudamus* recitarent, ſuauiſſimæ Dei prouidentiæ tam felicem rerum ſuarũ exitum gratulantes.

Multi eum in carcere inuiſunt.

Breue nunc vitæ tempus ſuperat, eoque pretioſius; cuius proinde momenta ſingula pietati is impendit & charitati: vt harum imprimis præſidio virtutũ munitior ad ſupremum certamen deueniret. Inuiſebant eum frequentes admodum ex omni genere ac gente homines Angli, Hiſpani, Galli, Flandri, quos omnes (vt de eo loquitur P. quidam Capucinus, qui maximâ ex parte benigniſſimè ei adfuit) cum religioſa accipiebat modeſtiâ, alacritati conſtantiæque admirabili admixtâ. Quin & verbis ſenſu piiſſimo plenis, renidente gratioſiùs vultu, quodque expectationem ſuperabat, ſuo quemque ſermone vernaculo, peritè ſanè ſcienterque ſingulari certè omnium voluptate, allocutus eſt. Dux Vendomius, qui tunc Londini verſabatur, operam ei ſuam perhumaniter ac ſponte detulit ad auertendum

quod

quod impendebat ſupplicium. Verùm Pater, actis humillimè gratiis, nihil eſſe reſpondit, cur pro ſe, homine indigno, conatus tales adhiberet. Et verò, iam tum, cùm in cuſtodiam primò venit, arrepto calamo ardentiſſimas ſcripſerat ad Superiores litteras, quibus eos enixè eſt obteſtatus, vt pro ſe liberando nulli omnino fierent ſumptus, nullius interponeretur interceſſio: Nobilis Luſitanus, ſe quoque ex Hollandorum familiâ oriundum profeſſus, pictorem, qui effigiem eius expingeret, officiosè miſit. Id officij Pater, ſuffuſo pulchriùs rubore depictus, modeſtè conſtanterque repudiauit. Verumtamen eâ nocte quæ mortem eius proximè anteceſſit, effectum amicorum induſtriâ eſt, commemorato priùs Moderatorũ aſſenſu quem obtinuerant, vt, dum ille placidè quieſceret, oris eius lineamenta vtcumque effin-

gerentur. Iam toto penè ſabbato aduentantium multitudini inſeruierat magnâ animi ſui attentione,nec minorę aliorum ſolatio,cùm ſibi vacare cupiens pietatiq́ue in Deum,eos qui tunc aderant ſic affatur: *Domini & amici mei, ſinite me quæſo tantiſper colligere memet,diuinumq́ Numen,tam pro vobis,quàm pro meipſo, precibus adire. Voſq́ viciſſim, ſi me auditis, patientiam hoc tempore & perſeuerantiam ab eodem Numine exorate.Neque vos terreat inſolens & malitioſa paucorum hominum ſuperbia,quibus non id dumtaxat propoſitum eſt, vt fideles Dei ſeruos è medio tollant, ſed Deum quoque ipſum,ſi poſſint,de ſede deturbatum velint. Ne dubitate,furorem iſtum ſanguis Martyrum temperabit. Vos interim memores quæſo mei in orationibus eſtote, ego veſtri non obliuiſcar.* Hæc tunc ille.

Extremus in carcere dies. Manè proximo, quæ erat Dominica Aduentus quarta, multis confitentibus aures

aures dedit, multis, Sacro ritè peracto, ſanctiſſimum Christi Corpus diſpertiuit. Poſtquam autem ſolus cum Deo, quantùm par erat, egiſſet, reliquum diei ſpatium de aliis iterum bene merendo tranſegit. Pleriſque ad ſe accedentibus non is multa quidem reſpondit; ſed quæ neruosè, magnoque ſpiritu prolata, efficientiam, impreſſionemque miram haberent. Exarſerat autem ſtudio nonnullos vinculorum ſuorum conſortes, quorum antea familiaritate vſus fuerat, ſeriò commonendi, quòd circa iuſiurandum *Fidelitatis*, vt vocant, à Catholicis in Angliâ contra ius faſque exigi ſolitum, perperàm ſe geſſiſſent; ſignificauitque nonnemini, eo ſe admonitoris munere quàm efficaciſſimè poſſet perfuncturum; neque dubitare, quin huiuſmodi monita, vtpote ab homine pro Christi fide capite damnato, iamq;

morti vicino profecta, momenti certè aliquid essent habitura. Quis eius rei exitus fuerit, nihil habeo affirmare. Cæterùm, quin quod facere statuit, piè is constanterque præstiterit, minimè hæreo. Et verò manifestum videtur cum vno saltem ex prædictis sensum animi sui vel eo ipso tempore communicasse, quo è carcere ad extremum supplicium euocabatur; eum enim, cùm iam egressurus esset, vehementer admodum, serioque admonentis in speciem, allocutus priuatim est. Hodie quoque Hispaniæ Legatus, quodam è suis viro nobili ad Patrem visendum destinato, Regem Catholicum, resque Hispanici Regni eius precibus commendauit, cùm antea pro Patre ipso, eiusque constantiâ, preces in suo Sacello indixisset. Cui Pater, quâ potuit grati animi testificatione, hæc breuiter retulit: *Et Regis, & Legati beneficia,*

ficia, vel in se singillatim, vel in totam Societatis IESV *Prouinciam Anglicanam collata, æternam sui memoriam reposcere. Omnino supplicaturum se Deo, qui ea solus compensare posset; atque adeò, etiam postridie, pro Rege Regnoq; Hispaniæ vltimum Missæ sacrificium oblaturum.* Inter hæc, aliaque quamplurima charitatis officia, exacto die, ad cœnam inuitatur, quam ei in carcere amici instruxerant. Venit humaniter, accubuit; sed induci non potuit alium cibum vt caperet, quàm ouum vnicum. Vinum verò ne gustauit quidem; nisi quòd, vrgentibus valdè amicis, pauxillum tandem ceruisiâ mixtum hauserit, cum hoc dicto: *Plus sanguinis sibi hinc in venis futurum, quem Christi causâ die postero funderet.*

Itaque feriâ 2. die 22. Decembris (quem in diem translatum S. Thomæ Apostoli festum celebrabat eo anno Ecclesia in Catholicis regionibus.) *P. Thomas Hollan-* *Educitur ad patibulum.*

dus circa horam decimam matutinam, trahæ, pro more, impoſitus, ad Tiburni furcas, ſecundo ab Vrbe Londinenſi lapide, tot Chriſti Martyrũ ſanguine nobilitatas, raptus eſt. Nec Londinenſis, nec Middelſexiæ *Vice-Comes* (hic reliquo Comitatui extra vrbem præeſt) neuter inquam ſpectaculo huic interfuit: id quod præſentis ſaltem Parlamenti tempore in nullius adhuc Sacerdotis morte, illic paſſi, contigerat. Varij rem variè interpretati ſunt; veroſimiliùs exiſtimarunt multi, noluiſſe eos illius morti adeſſe, cùius condemnatio ne legum quidem ipſarum ſeueritati congrueret. Illud certè conſtat, *Vice-Comitem* Londinenſem iam antea Parlamentum adiiſſe, vt ſententiæ huiùs executionem remorãdam curaret, ſed repulſam tuliſſe. Feruntque Sergeantium quemdam, qui ex officio traham comitabatur, inquirentibus

tibus per plateas de hominis morte, respondiſſe palam, eum contra leges, contra fas ac iuſtitiam mori. Poſtquàm iam Pater ad patibulum perueniſſet: quo infinita propemodùm multitudo ex omnium ordinum hominibus, Hiſpani etiam Regis Legatus cum totâ penè familiâ, ad ſpectandum confluxerat: alter eiuſdem Societatis Sacerdos, qui in carcere Sacerdotali eum munere iuuerat, iamque præſtò erat morituro, dexteram prenſans; Eia, inquit, bono nunc animo eſto, teque fortiter gere. Cui ille: *Non eſt per Dei gratiam quod metuas; non deerit animus.* Cumque ſuper traham in pedes erexiſſet ſeſe, populumq; circumfuſum quietum admodum & perattentum eſſe animaduertiſſet, inflexo ad auditores ex omni parte cum reuerentiâ capite: *Ex hac*, inquit, *attentione, ſilentioq; veſtro, loquendi poteſtatem mihi factam interpre-*

tor. Nihil dicam, mihi credite, quod aures cuiuſquam offendere quoquomodo poßit. Quòd ſi verbulum fortè duriuſculum, id quod non ſpero, ex improuiſo exciderit, ne quis id oro deteriorem in partem accipiat; præter voluntatem enim erit, idq́ iam nunc indictum cupio.. Sed quid ago? Ab eo ſigno ſermonem auſpicari oportuerat, cuius virtute vincendus eſt Chriſtianis infernus hoſtis. Tum ſigno crucis muniens ſeſe, cum formulâ verborum vſitatâ, *In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti: Spero,* inquit, *neminem hoc culpaturum, quia Chriſtiani hominis ſignum eſt.* Cumque adhuc perſiſtere vndique defixum ſilentio populũ cerneret, vocem, quam inſtar tubæ argenteæ fortem ſuauemque habuit, modicè intendens, proſecutus eſt ea pluribus, interruptâ tamen interdum oratione, quæ hîc ego breuiûs complectar:

Eius ad *Adductus huc ſum ad mortem eo nomine ſubeun-*

subeundam, quòd Sacerdos ac Iesuita esse existimer. Verumtamen hoc affirmare possum, nullum hactenus sat firmum argumentum allatum contra me fuisse, quo talis esse conuincerer. Obiecere aduersarij, quòd frequens mihi consuetudo cum Smithæo quodam fuerit, homine Catholico, Sacerdote, & Iesuita; quodq́ in Hispaniis aliquando studuerim; præterea verò nihil quod momenti quidpiam afferret. Clarè eloquor, atque ab accusatoribus meis, si huic cœtui intersint, postulo, vt me liberè coarguant si quid à vero alienum dixerim. Porrò quàm hæc leuia sint, quamq́ parùm efficacia, & iam antè in causæ Actione mea declaratum est, & plerique satis per sese vident. Certum tempus ac locus designentur oportet probenturq́, vel suscepti, vel exerciti Sacerdotij; quorum aduersum me neutrum est factum. Itaque tamquam dubiæ conditionis persona, adductus videor; neque opus hîc foret aliud fateri, quàm Romanum-Catholicum esse me, qui consuetu- *populũ allocutio.*

suetu-

suetudine conuictuq; Orthodoxorum frequenter sim vsus, quiq; aliquid olim litterarum didicerim; quandoquidem secundùm iura legesq; conuinci aliud non poßit. Verumtamen, quia iam transacta sunt omnia, & de capite meo sententia prolata, obsecro imprimis omnipotentem Deum, vt Iudici, *Duodecim-Viris, atque accusatoribus meis penitùs ignoscat: ego certè omnem mihi irrogatam iniuriam ex animo condono. Doleo tamen hoc illos, tamquam regulam iuris præscribere, vt nisi quis Sacerdotem se non esse iurauerit, is deinceps (prout mihi contigit) ex suspicione sinistrâ, ex meris coniecturis atque opinione obfirmatâ condemnetur, suppliciisq; Sacerdotibus in hoc regno constitutis addicatur. Possunt fateor laici ordinis homines legitimè iurare non esse se Sacerdotes; verumtamen, ne hoc ipsum vniuersè velut præscripti vim obtineat, inq; aliorum vertatur præiudicium, auctor illis potiùs sim vt ne ita iurent, at rem omnem iuridicè*

dicè relinquant euincendam. Iam verò taciturnitas mea, quam hactenus vitæ conseruandæ obligatio & naturæ ius poposcit, ne cui fortè, si diuturnior fuerit, inconsultæ reticentiæ speciem habere videatur, vtq́ multorum præterea expectationi rei veritatem scire tandem expetentium satisfaciam, palàm nunc & sponte enuntiabo ea, quæ probari hucusque nullius testimonio potuerunt: neque enim ea res, iudicio iam peracto, aut fraudi mihi esse potest, aut aliis laudi; nec quod præteritum est ratum habere, nec ei quod secuturum incommodare. Fateor igitur coram hac circumfusâ multitudine, & Catholicum esse me, & Sacerdotem, & ex infinitâ Dei bonitate, Societatis IESV *Religiosum, primumq́ ex eo Ordine, qui post huius Parlamenti initia, adiudicatus morti sim. Pro quibus omnibus collatis indigno beneficiis gratias ago immortali Numini quas queo maximas.*

Orsus deinde pluribus docere populum, *Ad Deũ preces.*

lum, nullam nisi in Ecclesiâ Romanâ salutis spem esse, nullam nisi vnam fidem, cui adiungenda necessariò Dei atque hominum charitas esset, prohibitus est in dicendo progredi vlteriùs: Mitte enim, inquiebat, qui pro more aderat Ministellus hæreticus, mitte obsecro plura de istis dicere: Deum tacitus precare, æternitatem cogita, dum ego hos alloquor. Erant autem hi, bini latrones, qui ad supplicij locum vnà cum Patre ducti, vnà etiam cum illo morte mulctandi stabant. Itaque dum longâ ad maleficos allocutione vteretur Minister, precationemque extemporalem persanè verbosam adhiberet, atque vnum alterúmve Psalmum Anglicè decantaret, Pater interim aliò se auertens, sua cum Deo separatim tractabat tam quieto compositoque oris totiúsque corporis habitu, vt eximiam quamdam spirare pietatem specta-

ſpectatoribus videretur. Tandem finierat ille;tum hic: *Domine Miniſter,perorantem te, precantemq; non interpellaui; ſinito me quoque viciſſim orare elatâ voce Deum, vt quæ dicam omnes intelligant.* Tergiuerſari Miniſter,& ſuperuacaneum id eſſe dicere, quòd iam pro illo,æquè atque aliis duobus,ipſe preces fudiſſet. Verumtamen permittam, inquit, eâ lege, vt cùm in quopiam erraueris,ego te interpellem & corrigam. Acceptâ conditione Pater,genibuſque ſummâ cum reuerentiâ nixus,poſtquam ſe rurſus, Latinâ verborum formulâ adhibitâ,cruce ſignaſſet,precari Anglicè ſic cœpit,vt primò ardentiſſimos fidei, ſpei, & charitatis affectus exprom eret; deinde ſuppliciter à Deo veniam delictorum non ſine tenerrimo intimoque ſenſu expoſceret; denique vitam illi ſuam,totumque ſe,ſacrificij loco deuoueret. *Suſcipe,* inquit,*ô Pater miſeri-*

ſericordiarum, qualemcumque me vides, ſuſcipe has indignas perpeſſiones meas, quas ſanctiſſimæ Vnigeniti tui conſociatas Paſſioni, propenſiſsimâ tibi voluntate offero: eorum virtute & coniunctione quæ paſſus eſt dulciſsimus Redemptor meus IESVS, *vnà cum meritis omnium qui in lege naturæ, in lege Moyſis, & in lege Gratiæ, diuinæ Maieſtati tuæ accepti fuerunt, ſunt vel erunt, gratiores, vt ſpero, futuras.* Poſthæc, veniam iterum impertiens aduerſariis, *Ignoſco,* inquit, *ignoſco Iudici eiuſq; Aſſeſſoribus, qui me condemnarũt; ignoſco Duodecim-Viris qui reum mortis pronuntiarunt; ignoſco accuſatoribus meis, cæteriſq; omnibus, qui mihi necis inferendæ quocumque modo cauſæ fuerunt.* Ad extremum, præcipuo quodam animi ardore preces nominatim adiecit pro Rege, pro Reginâ, pro prole Regiâ, pro Parlamento, pro vniuerſo demùm Regno: pro cuius bono publico, reductione ad fidem, & ſa-

lute

lute ſempiternâ, *Si tot, inquit, mihi vitæ forent, quot capiti crines, quot Oceano guttæ, quot cælo ſtellæ, quot cælorum Domino perfectiones, illas ego omnes hunc in finem libentiſsimè impenderem.* Quæ eius vltima verba magnus populi plauſus comprobauit.

Hinc ad carnificem conuerſus, *Age, ait, Gregori,* (hoc ei nomen eſt) *tibi quoque ſupplicij mei adminiſtro libens ignoſco; tuq; bonâ eorum veniâ quibus ſecundùm Deum parco, quod mihi reliquum eſt pecuniæ, accipe; ſimulq; duos ei aureos donauit.* Deinde clauſos aliquantiſper oculos iterum aperiens, eos in Sacerdotem illum Societatis (de quo ſuprà) adiutorem ſuum, defixit; Qui ſigno hoc, vti priùs conuenerat, admonitus, ſolemnem ei peccatorum abſolutionem ſic impertiuit, vt extrema formulæ verba exaudiret. Mox carro ſubducto, in quo iam pro more conſiſtebat reſte ad collum ac- *Mors eius.*

D com-

commodatâ, dum laqueo fauces comprimente ſubſideret ſuâ mole pendulus, Catholicus quidam pileum eius, quo caput & frons velabantur, detraxit: eo, vt arbitror conſilio, vt quo ille vultu mortem perferret omnes intuerentur. Et erat ſanè ſpectaculum viſu digniſſimum: cernebantur enim iunctæ ante pectus & ſurſum erectæ manus, oculi verò in cælum intenti; quos è militibus quidam bis terve claudere poſtea, ſed fruſtra, conatus eſt. Vultus eius, principio rubore ſanguineo ſuffuſus, aliquanto pòſt ad priſtinum colorem rediit. Neque fœdum in modum contracta ſunt ora, vt vſuvenire ſuſpenſis ſolet, non brachia, non pedes, non vlla membra motibus minùs decoris agitata; ſed immoto prorſus pendens corpore, ſpiritum in terrâ deſiit ducere, quem ipſi in cælos, vt fas eſt crede-

re,

re, deducere certabant Angeli.

Simulatque animam eum agere Ministellus aduerteret, carnificem scilicet officij admonuit vt seminecem exenteraret. At ille, Ministro humanior, aliud agere de industriâ perstitit, vsque dum constaret vitâ excessisse, ac tum demùm restim præcîdit. Passus est ætatis suæ anno 42. postquàm annos duodeuiginti septemque menses in Societate IESV sanctè vixisset. Cuius quanta apud Catholicos veneratio fuerit, vel ex eo discas, quòd dum corpus eius in frequentissimo hæreticorum cætu intestinis extractis membratim dissecaretur, (quæ hodie carnificina Sacerdotibus Christi causâ interemptis adhiberi in Angliâ solet) quamquam iustitiæ satellites intentatis bipennibus arcerent circumstantes, ac Parlamentarij milites in eam rem intenti essent, non defuerint ta-

Mortē secuta.

men qui eius ſanguine ſudaria imbuerent,qui tinctum cruore ſtramen colligerent,qui auulſa carnis fruſtula, qui reſtis nodum, quique alia nonnulla ad eum pertinentia, vincente metum pietate, ſecum auferrent. Veſtes omnes,quibus tum indutus erat, quibuſque ſancta ad iuuandas animas ſimulatione vſus fuerat, dum habitu ſeruili atque ignobili nobiliſſima charitatis miniſteria obiret,triginta florenis ab Orthodoxo quodam, religioſæ venerationis ergô, coëmptæ ſunt, quamuis adeò viles eſſent, vt ne denos quidem valerent.

Multa de hoc viro multorum elogia & ſunt,& eſſe iure poſſunt;morſque eius tam ſanctè conſtanterque obita plurimos planè omnis conditionis homines vehementer commouit.Legatus Hiſpaniæ,qui cum omni ferè comitatu domeſtico mor-

ti eius interfuit,præclaram de eâdem,deq́; optimi Patris virtute teſtificationem per litteras dedit. Nobilis Catholicus, cuius in ædibus P. HOLLANDVS vixerat, teſtatus cum lachrymis eſt, è Sacerdotibus quos ipſe quidem noſſet, hunc ſe tali coronâ digniſſimũ cenſuiſſe. Proteſtãtis verò cuiuſdam ea audita vox eſt, cùm diceret: Ecquando in omni vita alium quempiam, ecquando demùm ſpectabimus noſtræ religionis hominem tam laudabiliter morientem? Quidam è cuſtodibus carceris illius ex quo Pater ad necem productus eſt, cùm diſſecti corporis membra intueretur, guttur & fauces præciſi capitis manu premens ac ſublimè attollens, Videte, inquit, hæc illa ſunt; per quæ tot ſermones optimi, tot egregia monita permeârunt. Felix anima, cuius multiplex virtus veras laudes etiam hoſtibus expreſſit!



Ab hæreticis pro Fide suspensus et dissectus
Londini vii. Sept. An. 1644.

CERTAMEN SECVNDVM R.PATRIS RODVLPHI CORBÆI E SOCIETATE IESV

Victrici item lauru coronatum Londini in Angliâ 17. Septembris ſtylo nouo 1644.



Nno reparatę ſalutis noſtrę millesimo quingenteſimo nonageſimo octauo, die Martij quinto & vigeſimo, feriâ hebdomadæ quintâ, *P. Rodulphus Corbæus* propè Dublinium in Hiberniâ natus, parentes ambos, ex Co- *Ortus eius & parentes.*

mitatu Dunelmensi in Angliâ, Anglos habuit: qui, cùm honesto inter suos loco consisterent, conditione viuendi nec opulentâ, nec indiga; tum veris certè animæ bonis, pietateque Christianâ, quàm diuitiis ac genere, clariores fuere. Postquàm enim, discussis errorum tenebris quibus ad florentem vsque ætatem innutriti fuerant, affulsisset diuinitùs lux veritatis, iis eam animis, eoque constantię ardore amplexi sunt, vt variis licet admotis aduersariorum machinis, à suscepto tamen religionis Catholicæ instituto, eiusdemque fideli professione, diuelli numquam potuerint. Cuius vnius professionis causâ, quantis illi deinceps incommodis & quoties iactati, vt de loco in locum, de Prouincia in Prouinciam, de regno in regnum pulsi fuerint, tandemque in Belgium ad stationem quietam, atque adeò

in ipſum Religioſæ vitæ portum, confe-
ctâ propè ætate, feliciter appulerint, quia
& longiùs me proueheret quàm cogito,
& neceſſe non eſt hoc tempore dici, præ-
termitto. Illud planè huc ſpectat: cùm in
Hiberniam primò profugiſſent, ſeque illic
primariæ nobilitatis matronæ, vt ſummo
Numini liberiùs ſeruirent, in famulatum
addixiſſent, in illis exilij latebris, cùm aliis
eos liberis, tum Rodulpho noſtro, iam
tum exule priùs quàm nato, auctos fuiſſe.

Qui deinde, quinquennis adhuc puerulus, reduces in Angliam parentes comitatus, in Diœceſi vel Dunelmenſi, vel Lancaſtrenſi (neque enim diu iiſdem hærere ſedibus per fidei hoſtes licuit) pueritiam reliquam eâ tranſegit innocentiâ quæ ætatem deceret, eâ pietate quæ annos ſuperaret. Paucis enim vtebatur verbis, & cautè, neque aliis ferè quàm quæ ad vir- *Pueritia.*

tutem modeſtámve recreationem referret. Sermonis autem veritatẽ vſque adeò adamabat, vt qui eo familiariſſimè in ætatulâ illâ ſunt vſi, diſertè aſſeuerent, numquam induci quoquomodo potuiſſe, vt vel leuiſſimè mentiretur. Quodque peræquè laudes, altercationem omnem ſic auerſabatur, vt ſi quæ fortè incidiſſet cum Socio lis ac iurgium, continuò, quaſi litigare neſciret, hac ferè loquendi formulâ manus daret: *Ergo ita eſto, neque plura hac ſuper re verba fiant.* Pecuniam verò nec amabat vnquam, nec apud ſe libenter tenebat; verùm ſimulatque nummorum ei quidpiam datum eſſet, fratri id minori tradebat. Quid de ſummâ eius obſeruantiâ erga parentes dicam? Ad quorum arbitrium ac nutum, ſine tergiuerſatione vllâ, totum ſe planè fingebat, aliiſque id ipſum faciendi vehemens auctor fuit.

Virgi-

Virginem autem ſanctiſſimam, Magnam Dei Matrem, ſingulari prorſus veneratione colebat: & paruum eius Officium, quod vocant, diebus feſtis ac Dominicis recitare ſtudiosè ſolitus, & ad idem penſum perſoluendum ſororem ſuam Mariam ſæpiùs adhortari: Ita enim haud dubiè forè, vt cuncta ei Deus ac Deipara fortunarent.

Sic ortus, ſic à teneris educatus *Rodulphus*, quem in cæterâ quoque ætate curſum tenuerit, neſcio an aliunde rectiùs quàm ab ipſo diſcamus; qui, cùm iam morti proximus rationem aliquam anteacti temporis ſummatim redderet poſcenti id per litteras Moderatori ſuo, ſcripſit ad eumdem è carcere quæ ſubiungo: *Reliqua vita summa.* *Cùm iam vitæ annum agerem plus minus quintum-decimum, traieci ex Angliâ in Belgium, reliquamq; ætatem omnem aut ſub diſciplinâ Patrum*

Patrum Societatis IESV, *aut in ipsâ Societate vixi. Sexennio enim in Audomarensi Seminario litteris humanioribus operam dedi; Philosophiæ verò, & parti Theologiæ quinquennium impendi in Hispaniis: annum quidem vnum ægrâ & fractâ valetudine Hispali, Vallisoleti autem quadriennium. Quo tempore factus Sacerdos, reuersus iterum in Flandriam, & in Societatem admissus, tyrocinium Religionis VVatenis posui. Leodij deinde quod restabat Theologiæ curriculum confeci; pòst Gandaui annos egi duos, & eorum quidem alterum in tertiâ Probatione; vnde in Angliam Superiorum iussu remissus, proximorum saluti annos illic duodecim inseruiui. Quæ ego omnia temporum spatia ita facilè, ita sine vllâ grauioris impedimenti interpellatione decurrisse mihi videor, vt agnoscere omnino debeam cùm singularem Diuinæ bonitatis amorem, tum aliorum erga me charitatẽ eximiam, variaq́; subsidia, grato animo profiteri; præsertim*

cùm perpendo & exigua talenta mea, & infirmam corporis valetudinem, quâ ferè semper sum vsus. Iam verò quo ex tempore in Angliam redij, studui fateor secundùm vocationem & facultatem qualemcumque meam (vni Deo sit gloria) & solatio, & auxilio aliis esse, quà Sacramenta Ecclesiæ administrando, quà priuatim instruendo ad veritatem, quà cohortando ad virtutem; nam concionari publicè numquam potui: quod dolorem mihi quidem attulit interdum non exiguum, at sensum certè animæ salutarem impressit perpetuæ humilitatis. Adeoq; facilè mihi ipse persuasi, vt cum tenuiori hominum genere modicam planè ac pauperem viuendi conditionem sequerer, pedesq; ferè semper obirem vicinam omnem & conterminam regionem. Quod autem ad animæ meæ statum attinet, spero equidem, quæ est Dei misericordia, benè mihi esse; contendi quidem certè progredi in virtute quotidie, habuiq; ob oculos & communem

vitæ

vitæ humanæ incertitudinem, & imbecillitatem præcipuè, infirmitatemq́; propriam: quippe qui annis iam octo proximè elapsis, magnam omnino vim sanguinis & vernâ & autumnali tempestate effundere sim solitus. Id quod priorem corporis mei constitutionem non immutauit modò plurimùm, sed & capitis vires debilitauit vehementer, sic vt neque diu nunc meditari, neque multum mihi legere fas sit, verùm temporis partem maximam vel cogitationibus piis precibusq́; iaculatoriis transigam, vel Officio Diuino, Beatissimæq́; Virginis Rosario recitando. Quin & nuper, cùm incedere iam pedes non possem, vt priùs, coactus sum equo vti, non leui sanè incommodo & molestiâ meâ, his præsertim periculosis impeditisq́; temporibus. Quæ mihi omnia auxere etiam cupiditatē vitam ipsam aliquādo ac sanguinem vniuersum Christi causâ profundendi. Quod is vtinā reipsâ tandē, pro immēsâ benignitate suâ largiatur! Datū è carcere 13. Sept. 1644.

Hæc

Hæc ille de ſe candidè & ſyncerè ad Superiorem ſuum. In quibus, vt apparet, etſi amore obtemperandi impulſus quædam laude digna, quaſi totidem lucis radios, parcè hinc inde ac reſtrictè aſpergit, ſtudio tamen demittendi ſeſe, velut atrâ eos nube infuſcat contemptionis ac deſpicientiæ ſui; quæ perpetua ei virtus, virtutum cæterarum radix extitit. Ex illâ, in dictis factiſque genuina ſemper & aperta ſimplicitas; ex illâ, ad nutum alienæ opinionis, quàm ad ſuæ impetum voluntatis flexibilior animus; ex illâ, in cultu conſcientiæ, rerum etiam minimarũ ſubtilis inquiſitio, ſolers cura; ex illâ, non linguæ ſolùm à leuiſſimę obtrectationis ſpecie eximia temperatio (quæ laus eius fuit illuſtris planè, & ſermone familiarium celebrata) ſed & in reliquos animi motus imperium tantum, vt qui viri conſuetu-dine

Virtutes eius, & labores in Missione Anglicanâ.

dine frequentiſſimè ſunt vſi, numquam ſe in eo niſi tranquilli maris faciem vidiſſe fateantur. Ex illâ denique corporis ſui, tamquam fallacis mancipij ſanctum & conſtans odium: quo, licet ſponte ſuâ imbecilli admodum & inualido, non ille tamen ad languorem abutebatur, & operoſæ occupationis fugam, vt humana ſuadet fragilitas, ſed aſſuefaciebat ad labores, ad duriora exercitabat, & in aſſiduâ actuoſæ charitatis contentione detinebat, poſtulante id ſalute animarum & Chriſti honore. Erant in illis locis, vbi verſabatur, obſcurâ ac tenui fortunâ Catholici plures, qui nec alere ipſi Sacerdotes domi ſuæ propter inopiam poſſent; nec eos facilè in alienis ædibus adire, propter periculum, ſinerentur. Hos enimuerò *Rodulphus* ſibi cenſuit conſolandos, his omni ope adeſſe, his Eccleſiæ Sacramenta imparti-

pertire, horum lustrare per pagos domicilia statuit. Id quod fecit sanè impigerrimè, non diurno tantùm tempore, sed vel intendentibus se tenebris, vel nocte intempestâ, per calores æstiuos, per hyberna frigora ac pluuias: cùm pedes interim incederet, baculum manu præferẽs, quem equum suum iocosè dictitabat, commendabatque scilicet sub ipsum domus ingressum domesticorũ curæ. Vtque pauperum casas citra suspicionem frequentaret liberiùs, sine chlamyde, sine penulâ ibat, corporis amictu contemptissimo: vernam aliquem, aut villicum, aut certè tabellarium credidisses. Hospitium verò victusque ratio eiusmodi fuere, qualia reperiri apud egentiores, non ex comparato, sed improuiso solent; iisque verè delectari se tamquam rebus acceptissimis, & læto semper vultu, & grato gaudentique

animo ſignificabat. Vt mirum non ſit, propter huiuſcemodi Apoſtolici ſpiritus officia, duodecim continenter annos præſtita, propter modeſtos manſuetoſque viri mores, & Patrem eum chariſſimum, & inter tenuiores Catholicos, regionis illius Apoſtolum vulgò audiiſſe.

Comprehenditur & examinatur. Verùm, hos inter pios humileſque labores, tantâ contentione, tamque conſtanter exantlatos, quid expectes aliud, quàm quæ ſequi ex contento ac diutino curſu ſolet, ſitim ingentem? Sitim illam loquor, quā is iam diu animo cōceperat, per patibulum cælos adeundi, & in cauſâ, cui operam ac ſudorem impenderat, etiam ſanguinem effundendi. Dies erat Iulij decimus octauus anni 1644. quo die *P. Rodulphus* deſtinatæ ſibi cælitùs felicitatis ignarus, incruentam Sacri altaris victimam immolabat Hampſterlei: locus is eſt

in

in ComitatuDunelmensi,ad Neocastrum vergens, & solitaria in nemore domus: illic inquam sacrosanctum Missæ sacrificium peragebat, in eoque iam epistolam legerat, cùm ab irruentibus per vim Caluinianis militibus vix benè exutis sacerdotalibus vestimentis,capitur, præsentiq; animo quod res erat fassus, (quid enim frustra tergiuersaretur , cùm ara etiamnum in conspectu staret, eodemque pertinens supellex?) Sunderlandiam illicò, oræ maritimæ oppidulum,ad Parlamenti Commissarios,qui causarum tunc cognitores sedebant,abripitur. Illi de crimine, quod nullum erat,exorsi quærere,à milite continuò, qui eum adduxerat, edocti quis esset, & qualia iam de se confessus, Confessionem eamdem scripto mandari, sibique tradi iubent. Scripsit itaque Pater suâ manu in hanc sententiam: *Ego Rodul-*

phus Corby Sacerdos cùm in Episcopatu Dunelmensi vitam agerem, captus hodie à Parlamentariis sum Hampsterlai, circa horam nonam matutinam, inter Missæ sacrificium; ibidemq; mecum Sacerdotalis apparatus, aliaq; vnà intercepta sunt. Percunctantur porrò, vbinam Sacerdos factus: in Hispaniâ, inquiebat; & an Iesuitarum è numero foret: esse se respondit summo Dei beneficio è *Societate* IESV; quæ & iussus, haud grauatè scripto adiunxit. Fortè summâ in schedulâ quâ hæc scripsit, vti mos est religiosis hominibus, *Crucis* signum calamo expresserat. Id isti scilicet, tamquam impiè superstitiosum interpretati, & ægerrimè tulerunt, & variè exagitarunt: quippe qui eius farinæ homines essent, qui Christi Crucis figuram omnem fictam, sculptam, pictam sacrilegè execrati, à memoriâ mortalium exterminatam cuperent.

Tandem

Tandem verò excussum & examinatum quantum volebant, circa horam noctis vndecimam, ad nauem ablegarunt, Londinum extemplò auehendum. In naui autem cùm in secretam contrusus custodiam diem vnum fuisset, libertatē postea (vt de se ipse ait) nactus maiorem, per foros inambulare, humaniusq; tractari permissus est. Sed quod maximo ei solatio extitit, reperit ibidem, singulari Dei prouidentiâ R. Dominum *D. Ioannem Ducketum*, Sacerdotem sæcularem, paucis antè diebus in loco vicino comprehensum, & eâdem de causâ ad eamdem sortem damnatum: virum planè egregiè constantem, & eximiâ virtute præditum; cui & suæ sigillatim laudes, magnæque debentur, & ego quæ in reliquâ narratione hac de *P. Rodulpho* expositurus sum, ea ferè de vtroque communiter sic scribere, sic accipi

Londinum auehitur cum R. D. Duc- ketto.

pi cupio, vt, quantum eius quam exorsus sum, telæ pertexendæ ratio patietur, quos Deus mirabiliter in victoriâ coniunxit, nefas esse putem in victoriæ commemoratione separare. Et certè post primum hunc in naui congressum, tanquam gemelli fratres, tanquam cognatæ animæ, simul deinceps ingenti cum consolatione mutuâ vixere, simul in carcerem coniecti sunt, simul citati ad iudicium, simul condemnati, simul morte felicissimâ perfuncti.

Ad carcerem cũ eodem abducitur.

Iamque adeò Londinum nauigio appulsi, & ad Parlamenti Cõmissarios Westmonasterium deducti, cùm illic quoque vrgeretur facta priùs Sunderlandiæ de sacerdotio confessio, eamque illi rursus constanter agnoscerent; sine longiori examine aut morâ, ad carcerem, cui *Noua-porta* nomen, amandantur: amandantur

autem

autem per insolens ludibrium. Adest enim confestim, cum præuio centurione, non minùs quadraginta militum armata cohors, qui militari scilicet, sed ignominiosâ pompâ, resonantibus tympanis, ardente fomite, explosis identidem bombardis, innocentes hos & pacificos Christi Confessores, tanquam maleficos, tanquam turbulentos Regni proditores, tanquam in hóstili exercitu (in quo nunquã fuerant) nuper captos, re autem verâ in Catholicę Religionis ac Sacerdotij odiũ, per refertas confluente turbâ plateas, ad carcerem & vincula traducerent, illo ipso die, quo in Ecclesiæ fastis sancti Petri ad vincula memoria recolitur. Quo ex die vsque ad Idus Septembres proximas (post quas agendum solemne forum, & producendi ad iudicium rei erant) quàm piè, quàm religiosè, quâ constantiæ demon-

ſtratione, quantoque inſpectantium & exemplo & ſolatio tempus omne tranſegerint, documenta afferri plura poſſent. Nam cùm ſecluſis rerum humanarum curis, ſibi iam ac Deo pleniùs vacarent, vireſque animorum ad extremum vitæ agonem attentiùs colligerent, quaſi ſanctum quoddam inter ſe inſtituiſſe certamen videbantur, humilitate, charitate, patientiâ, diuinæ gloriæ ſtudio, cæteriſque heroicis virtutibus, vter vtri anteiret: ita tamen, vt (quod præcipuè virtus poſtulat) magnam vbique conſpirationem voluntatum, & mirificam in rebus omnibus concordiam tenerent.

Vterque improbat Iuramentum Fidelitatis.

Increbuerat veriſimilis opinio, vtrumque haud ita multò pòſt, id quod euênit, prò fidei & Sacerdotij confeſſione, capitali pœnâ plectendum. Ergo ad eos, vt fit, Sacramenta ſumpturi acceſſere multi. Quos

Quos inter, de manu P.Rodulphi sacris operati sacrosanctum Christi Corpus accepit quidam, quem plurimi sciebant damnatum illud *Fidelitatis*, vt vocant, iusiurandum iurasse, & in eius defensione pertinaciter adhuc perstare. Quæ res simulatque sanctis Dei Sacerdotibus innotuit, statuerunt illicò ex communi consilio prouidere, ne qua inde labes falsò aspergeretur veritati, quasi secùs ipsi atque oporteret de dicto iuramento sentirent, néve salus animarum detrimentum aliquod ab exemplo caperet. Itaque de sententiâ vtriusque adiit hominem *P.Rodulphus*, monuitque amicè ac mansuetè, vt si, prout ferebatur, ita se res haberet, neque is facti pœnitentiâ duceretur, abstineret in posterum simili Eucharistiæ sumptione: certum enim sibi ac socio esse, Iuramenti istius toties à Sede Apostolicâ

damnati defenſores, aut fautores, ſi quos noſſent, ad ſacram illam menſam non admittere. Quin & aliàs ſæpiùs vnanimi conſenſu declarauere ambo, quàm vehementer iuſiurandum prædictum deteſtarentur, quod indubitatum iam eſſet defendi ſaluâ cõſcientiâ non poſſe: qui contrà docerent ac facerent, reiici omnino à Sacramentis debere. Neque dubito ſanè, quin iunctis item animis vel pro hoc vno Catholicæ veritatis articulo depoſituri vitam fuiſſent, prout ante ſeſquiannum paratum ſe eſſe profeſſus nominatim fuerat magnus ille vir è S. Franciſci familiâ, & egregius eodem in loco fidei teſtis *P. Henricus Hethus*, ſeu, vt in Religioſo Clauſtro appellabatur, *Frater Paulus de S. Magdalenâ*: qui vt hos, de quibus nunc loquor, zeli ſui æmulos reperit quod ad Orthodoxam doctrinam de Iuramento

Fide-

Fidelitatis ſpectaret, ita eoſdem imitatores habuit in quadam, vt ſic dicam, pro Chriſti fide patiendi auiditate.

Etenim ingenti eos deſiderio Martyrij flagraſſe, cùm alia fuere multa quæ indicarent, tum imprimis grande illud vtriuſque gaudium, & mira vultuum ſerenitas, quam in carcere præſeferebant perpetuò, quæque ab iis quibuſcum agerent ſic aduertebatur, vt non deeſſent, qui ab eorum conſortio digreſſi, rem illam & verbis palàm, & verò etiam fuſis lætitiæ atque admirationis lachrymis teſtarentur. Itaque aduigilabant ſedulò, atque in omnem partem circumſpiciebant, ne quà fortè palma eis penè in manibus infringeretur, impendentemque verticibus tam pretioſam, totque votis expetitam coronam amitterent. Et quoniam, quod ad *P. Rodulphum* attineret, opinabantur nonnulli, ſi de

Ardenter Martyrium deſiderant.

de ortu eius in Hiberniâ authenticæ curari tabulæ possent, quæ tempori proferrentur in medium, impedimento id fore quò minùs capite damnaretur; hinc, litterarum eiusmodi procurationem inuitus ille audiebat, &, quantum saluâ obedientiâ licuit, ab eo negotio promouendo abstinebat. Videturque certè Diuina prouidentia ardentibus eius suspiriis fauisse, contra amicorum conatus ad vitam eiusdem conseruandam susceptos; quorum ita lentum voluit esse successum in testimonio illo publico obtinendo, vt non nisi eodem ipso die ac penè horâ, Notarij manu scriptum consignaretur Gandaui de natali eius loco in terris, quo ille die ac horâ, carnificis manu suspensus Londini, nasci cœpit in cælis.

P. Rodulphus oblatã Sed nescio an eius patiendi cupiditatem non æquè declaret quod dicturus sum

ſuum modò. Incidit fortè, vt cum Prolegato Imperatoris, Londini reſidente, ageretur à nonnullis de Scoto quodam Tribuni locum tenente, qui captus in Germaniâ fuerat, libertate donando. Continuò Prolegatus, pro eximio zelo ſuo in causâ optimâ, vrgere vehementer vt *P. Rodulphus* pro ſe captiui illius commutationem admitteret; ſibi autem rei totius expediendæ curam cordi fore. Deprehenſus hôc loco inexpectati fauoris repræſentatione bonus Pater, cùm declinare eum perciperet, nihil excogitabat commodius, quàm vt oblatam tantâ benignitate gratiam à ſe deprecando, in beatum collegam ſuum, D. *Duckettum*, transferri poſtularet. Allegabatque (vt eſt ingenioſus Amor) tanquam validiſſimam ad id ipſum perſuadendum rationem, quòd ſibi, vtpote in Hiberniâ nato, tali ſubſidio tanto-

ſibi ſpē libertatis in collegā transfert.

tantopere opus non foret; at certum contra videri, D. *Duckettum*, in Angliâ ortum, nisi eiusmodi beneficio aliquo non euasurum. Etiam illud addebat: eumdem collegam suum, iuuenem adhuc & validum, præclarisque dotibus instructum, vtilem etiamnum ac diuturnam operam in salute animarum procurandâ collocaturum; se & annis illo prouectiorem, & valetudine infirmum, viribusque ita exhaustum esse, vt in Christi vineæ cultura multò plura non posset. His argumentis humillimas insuper preces adiunxit, quibus idem sibi licere per Moderatores suos, perque Prolegati benignissimam humanitatem, immortales de se gratias meriti, flagitauit. Quòd si natalem habuisse sedem Hiberniam, minùs id fortè valeret ad caput supplicio eximendum, eo se animi sensu esse per Dei gratiam, vt paratior multò esset,

tam

tam gloriosâ in causâ mori quàm viuere. Quinimmò, postremo præsertim vitæ quadriennio (paulò ante quod tempus in Coadiutoris Spiritualis Formati gradum cooptatus fuerat) easdem sibi in pectore flammas arsisse, neque destitisse se Diuinam obtestari bonitatem, fas aliquando vt esset voti compotem fieri.

Apparebat enimuerò ex his omnibus, mentem eius cælesti quadam minimeque obscurâ impulsione ad agonem illustrem incitari. Cùm Prolegatus interim, non iam ampliùs per internuntios rem agere, sed carcerem ipse adire, & coràm intelligere statuit, ecquid inter se ad extremum de negotio isto decernerent Christi pugiles. Interfuitque commemorabili planè concertationi humilitatis & charitatis mutuæ, quà oblatę libertatis ac vitæ spem, demisissimè simul atque officiosissimè, al- *Vtriusque pia contentio.*

ter

ter in alterum reiicere contenderet, defixis admiratione qui aderant, contentionisque nouitate stupefactis; E quorum numero vir Religiosus, & grauis sic pronuntiauit, vt diceret: In hoc pio sanctoq; certamine visam sibi omnino esse humilitatem feruoremque primorum Ecclesiæ Martyrum repræsentari. Docuitque euentus; placuisse Deo vtramque admoueri aris victimam, neutram sacrificio subtrahi.

Citantur ad Iudicium. Itaque, quo vterque pacto citatus ad Tribunal, condemnatusque sit, audiamus, si lubet, ex iis, quæ P. Rodulphus litteris suis complectitur 15. Septembris 1644. datis; pleraque enim cõmunia illi cum Collega fuere, contra quẽ simili ferè modo in iudicium processit. *Cùm haberentur*, inquit, *Consessus Iudiciarij* 4. *Septembris stylo veteri (qui dies in Catholicis regionibus* 14. *est, Exaltationi*

tioni sanctæ Crucis sacer) euocatus ego sum secundo loco. Cumq; comparuissem; essetq; accusationis meæ formula recitata, cuius summa erat: Quod Rodulphus Corby, Anglus, in transmarinis regionibus Sacerdos & Iesuita factus, in Angliam rediisset contra leges: quæsiuit ex me, pro more, Syndicus Ciuitatis, ordinarius plerumque in his causis Iudex: Reus, an non reus, seu sons, an insons essem. Respondi, esse me quidem Sacerdotem ac Iesuitam, idq; palàm confiteri; verùm non hoc crimini, sed honori ducere. Premebat ille, vt directè responderem, Reus; an non. Ego iterum ac tertiò repetebam, esse me omnino Sacerdotem ac Iesuitam; quòd si istuc demùm foret, Reum esse, habere eum confitentem reum. Cumq; aliud nihil responsi extorquere posset, quæsiuit, Num quid præterea haberem quod pro me dicerem. Immò verò dixi: Neque enim in Angliâ natus sum, quod accusationis formula obtendebat, sed in Hiberniâ: quo tempore, conscientiæ ac

Religionis causâ, compulsi parentes, eò ex Angliâ profugerant; hocq; ipsum Quæsitoribus, apud quos primùm causam in hac vrbe dixi, dudum indicaui. At non, inquit Iudex more quodam irrisorio, non hoc vllum erit effugium. Quid enim? an Statutum *ignoras regnante* Elizabethâ *factum?* Iußitq; illicò Statuti *verba recitari. Quæ ego nunc quidem non recordor; illud scio: quà verba ipsa, quà eius verborum interpretationem,* Statutum *illud ad omnia* Reginæ Dominia, *in quibus* Hibernia *erat, extendisse. Atq; ita, aiebat, si tantus tibi animus constat, moriendum omninò est. Quo dicto venêre continuò* Duodecim-Viri, *meq; Sontem, & criminis, cuius accusabar, meipso teste conuictum pronunciarunt; sicq; inde abduci sum iussus.*

Condemnatur. *Proximè insequenti die rursum euocatus ad* Iudicium, *cùm pro* Tribunali *starem, quæsiuit denuò Syndicus, ecquid afferrem tandem, quo me fato mortis, iuxta leges decernendæ, eximerem.*

Dixi

Dixi allegaſſe me heri, quòd in Hiberniâ natus, à patria cupiuiſſem examinari cauſam meam, neque id conceſſum fuiſſe. Ad hoc, inquit, etiam heri reſponſum eſt ſatis: Statutum *enim & Angliam & Hiberniam comprehendere. Itaque ſententiam protulit in hanc fere formam: Redeundum mihi iſtinc ad carcerem; è carcere, vimineis cratibus impoſitum, ad Tiburni furcas trahendum; vbi ſemiſtrangulatus laqueo ac ſemianimis, euiſcerandus eſſem, & quatuor in partes diſſecandus; quæ partes Londinum reuectæ, quo demùm loco Regi viſum foret, ſuſpenſæ affigerentur. Atque hac tandem latâ ſententiâ lætus ego, ad Neoportam carcerem meum reuerſus, illic expecto benedictum illud ac felix ſabbatum* (erat is in Angliâ ſeptimus Septembris dies poſtquam hæc ſcripſit perendinus) *quod Peruigilium eſt eius glorioſæ Natiuitatis, cuius ſanctâ interceſſione ſpero equidem fore, vt ad nouam ac ſempiternam vitam renaſcar. Quod vtinam*

mihi infinita Dei bonitas per eiuſdem Deiparæ Sanctorumq́; omnium preces ac merita largiatur! Amen.

P. Rodulphi vltimū per litteras Vale.

At in alterâ earumdem litterarum paginâ, etiam alia quædam fuere, quæ imaginem nobis haud obſcuram exprimerent ſolidarum perfectarumque virtutum, quibus animam eius Diuina benignitas cumulauerat. Et ſanè qui eum optimè norunt, ignorare non poſſunt, gratias ei cælitùs collatas magnas planè fuiſſe; eoque maiores, quo eas ſemper tectas magis magiſque in occulto habuerat *ſecura gratiarum cuſtos Humilitas.* Sed quia multa litteris illis admixta fuerunt quæ particulares perſonas attingerent, prætermitto cætera, & extremos tantummodò verſus adſcribo. Quibus ille verſibus, cùm ſummâ animi demiſſione hebetem ſe & imperfectiſſimum in ſcholâ virtutis diſcipulum

lum agnouiſſet, quaſi Vale vltimum in terris & Patri ad quem ſcribit, & vniuerſæ Societati his verbis dixit: *Iamq́; adeò Pater optime, vt Epiſtolæ ſimul ac vitæ finem faciam, per Supremi Numinis amorem, veniam enixè peto à R. V. totaq́; Societate erratorum omnium, defectuum, atque offenſionum mearum, & officij cuiuſcumque in vitâ præteritâ neglecti.*

Sed pergam ad ea quæ conſecuta ſunt, ſi priùs breuiter monuero, vixdum à Tribunali abductos fuiſſe conſtantes hos Chriſti Confeſſores, cùm barbaram experti inhumanitatem neſcio cuius maligni cuſtodis, detruſi ab eo ſunt in tetrum ac vile ergaſtulum, inter fecem homicidarum, latronum, maleficorum, & cum ſceleratis reputati. Cœpti quoque illic ſpoliari, catenis ac ferreis compedibus onerari, aliiſque modis vſque eò indigniſſimè tractari, dum Præfectus ipſe carceris, rem *Vtriuſque indigna extractatio.*

edoctus, & facti atrocitatem exoſus, vetuit vltra procedere. Coacti ſunt tamen, antequam inde dimitterentur, inuſitatam vexationem præſenti etiam pecuniâ redimere. Quæ illi omnia placido vultu, quietâ mente, ac ſine vllâ aduerſus quemquam querelâ tolerarunt.

Inuiſuntur à variis. Iam dies omnino vnus, noxque altera mortalis vitæ ſupererat; id verò omne tẽpus orationi, ieiunio, vigiliis, ne ſemel quidem clauſis ad ſomnum oculis, tribuendum putauere: tum vt paratiores ipſi, horam illam ſupremam expectantes, cæleſti animarum ſponſo obuiam occurrerent; tum vt alios interim ſolarentur magis, ſeque ampliùs charitati impenderent. Ventitabant enim tam noctu quàm interdiu frequentes, & Catholici noſtrates, & exteri, & plerique inſuper Orthodoxorum Principum Oratores, qui Londini

tunç

tunc temporis reſiderent: alij quidem aliâ, fortaſſis de causâ, ſi ſingillatim quæras; at omnes certè, id quod apparebat, veneratione quadam præcipuâ pleni aduerſus beatos Christi pugiles, quos iam tum intuebantur tanquam certiſſimos cæli incolas mox futuros. Nec defuere illi partibus ſuis: fidis conſiliis, ſalutaribus monitis, humili ac ſedulâ Sacerdotij functione, & quacumque demùm poterant ſeu gratificandi voluntate, ſeu officiorum alacritate ſatis omnibus facere conati. Et *Pater* quidem *Rodulphus*, qui in ſingulis gentis noſtræ Seminariis à Philippo II. Catholico ſtabilitis, Audomarenſi, Hiſpalenſi, Valliſoletano, excultum ſe meminerat bonarum artium diſciplinis, curriculumque Theologiæ in Collegio Leodienſi Bauaricâ munificentiâ piiſſimè fundato confeciſſe, committere non potuit,

quin humillimè, quà verbis, quà ſcriptis, quà aliis grati animi pignoribus, indelebilem ſe memoriam beneficiorum tenere demonſtraret; adeoque nominatim pro Cæſareâ, Regiſque Catholici Maieſtate, proque Sereniſſimo Bauariæ Electore, deprecatorem ſe fore polliceretur; & nunc, & in illâ Sanctorum æternitate, quò magnis iam paſſibus, propitio Numine feſtinabat. Prolegatus verò Galliæ non id ſatis habuit, candidatos Chriſti Martyres extremâ illâ veſperâ peramanter inuiſiſſe, eorumque pro ſe preces ſingulari quadam ratione exoraſſe, ſed & ſacram Exomologeſim inſtituere apud *P. Rodulphum* voluit, (quod & comites eius fecere) & Roſarium ab eodem accepit ac numiſma benedictum, quæ Reginæ Matri in Gallias dono mitteret, vnà cum ſchedulâ his verbis latinè inſcriptâ: *Ego Rodulphus Corbæus,*

Socie-

Societatis Iesv *Sacerdos, promitto me oraturum pro ſalute Regis Galliæ, Chriſtianiſſimi, pro Sereniſſimâ Reginâ eiuſq; familiâ*, &c. Poſtquàm autem diſceſſit, profeſſus eſt de ambobus, numquam ſe par exemplum ſpectaſſe fortitudinis Chriſtianæ: quorum vt præſens ipſe non admirator tantùm fuerat, ſed ex congreſſu colloquioque varios pietatis ſenſus, & conſilia ſalutaria, magno animi ſui gaudio conceperat, ita horum ſe apud alios non immemorem præconem futurum aſſeuerauit.

Nec prætereunda ſilentio eſt ſpectatiſſimæ nobilitatis ac dignitatis feminæ inſignis planè & poſterorum recordatione digna pietas; quę cùm extranea eſſet, Londinumque ſub illud ipſum tempus aduenifſet, quo, cælo terraque teſte, exhibendum erat ſpectaculum hoc Deo atque Angelis placiturum; lætata vehementer *Multi vltimis eorum Sacris interſunt.*

 eſt,

est,obtigisse sibi pręter spem,vt ei quoquo modo interesset. Itaque nihil à se prætermissum voluit,quo deuotas morti hostias viuentes, & in illis Catholicæ fidei caussam cohonestaret.Neque id ipsa fecit tantummodò,verùm aliis quoque idem persuasit; venitque ad carcerem cum Marchione de Brossay, cumque suo atque illius comitatu, nihil temporis incommoda,nihil loci angustias causata: illic totam eam noctem, quæ sanctis Dei Sacerdotibus postrema in terris fuit,tanquam in sacris quibusdam vigiliis perstitit, Sacrificium altaris incruentum peragentibus religiosissimè adfuit, *Patriq; Rodulpho Confessa*, & è manu eius diuinissimo Eucharistiæ epulo pasta, etiam calicem, quo rem illi Diuinam iam fecerant, numeratâ pecuniâ coëmit, hodieque velut pretiosum cimelium piissimè seruat.Sed & alij interfuere

fuere bene magno numero Catholici, qui eodem tempore, præmissâ ritè Confessione, Angelico ab iisdem pane refecti sunt, grande se inde solatium cepisse testati.

Animaduersum porrò est, *Patrem Corbæum*, post acceptam, vt diximus, sententiam damnatoriam, perstitisse, vt priùs, erectum, alacrem, lætum, sine aliâ mutatione vllâ, quàm quòd à discessu ex hac vitâ quo aberat propiùs, eo animi teneritudinem demonstrarit maiorem, quæ lachrymas ei interdum suauiter eliceret, non doloris aut timoris indices, sed gaudij illius testes, quod iam solito abundantiùs ex vicinâ ac propè in conspectu positâ felicitate hauriebat. Ita enim professus est ipse cuidam eiusdem Societatis, qui ei semper in carcere adfuit, neque vllo se planè timoris sensu tangi. Verumtamen, *Quid tunc P. Rodulpho contigerit.*

in

in hoc vltimo Missæ sacrificio, prior illa auræ serenitas, quasi nubeculæ cuiuspiam interiectu, obduci aliquantisper est visa; nam dum sacro munere fungeretur, & corporis totius motu, & oris pronuntiatione impeditiori præter morem fuit, & stetit interdum tanquam brachiis constrictus, & vox ei identidem sic defecit, vt admirationem adstantibus stuporemque attulerit. Rogatus verò postea, ecquid demùm id rei fuisset: cogitationes quasdam tristiores menti aiebat occurrisse, quas à Deo dispelli, fugarique postulasset; fugatæque confestim sunt, & pristinæ is alacritati restitutus; immò supra quàm natura ferret, nouo quodam animi lætitiæque robore, ad extremum vitæ spiritum durante, cumulatus. Itaque cùm postea in digressu, flere quosdam cerneret, & doloris signa dare,

re, etſi, quâ erat animi teneritudine, ſibi quoque commoueri viſcera ſentiret, hilares tamen ac lætos eſſe iubebat, negabatque ſereno quodam oris riſu, eſſe omnino quidquam cur flerent, eſſe autem quàm plurima cur tantam amico felicitatem gratulari iure deberent, & gaudio triumphare.

Illuxerat interea exſpectata dies, vrgebatque hora, vt è carcere tandem, vbi partes huc vſque ſuas præclarè egerant, in apertum aliquando theatrum prodirent, Actum vitæ extremum peracturi. Prodiere enimuerò alacri conſtantique animo, ſui vbique ſimiles, cauſæ memores. Pro quâ non erubuerunt dare ſe palàm populo ſpectandos nouo apparatu, & pleriſque illic loci numquam viſo. Prodierunt enim non iam alienæ *Educuntur ad ſupplicium.*

perſo-

personæ imitatores,sed actores suæ: & ille quidem veste talari, qualis esse solet in Catholicis regionibus Sacerdotũ sæcularium;hic habitu Religioso,Societati nostrę consueto;vterque autem raso decenter in coronę formam vertice. Tum in eamdem coniecti cratem, subiectoque, vt mos est, stramine,dexter sedebat *P.Rodulphus*,annis maior,valetudine attenuatior, gracili pallidaque oris specie ; iuxtaque à sinistris *D. Duckettus*, viribus & ætate florentior, formâ decorus, iucundo planè & amabili aspectu.Sicque inter confluentem spectaculo turbam dum ad patibulũ raperentur, modestissimi,patientissimi,alacerrimi, reciproco animorum solatio, charitateque plus quàm fraternâ coniunctissimi, næ ipsis etiam hæreticis reuerentiam quamdam sui impressisse videntur, palàm dictitantibus,*Mirum visu;mirum cogitatu esse,qui-*

bus

bus animis, quantaq́; constantiâ homines istiusmodi mortem Religionis causâ oppeterent. Catholici verò, cùm præter consuetudinem, habitu eos proprio, atque Ordini vtriusque accommodato, duci ad supplicium cernerent, gratulabundi omnino ac venerabundi benedictionem eorum signis nutibusq́ue postulabant: quam & illi vicissim peramanter atque ore lætissimo impertiebant.

Iam per Vrbem, perq́ue agros raptati, ad Tiburnum peruenerant, cùm, vt audio, amplexu (primùm) & osculo patibulum ipsum deuotissimè, gratiisq́ue Deo actis, salutarunt; tùm conscenso ferali plaustro, insertisq́ue laqueo ceruicibus, inter sontium turbam stetere; qui tunc quinque omnino erant, vnà cum insontibus suspendio necandi. Quo in loco *D. Duckettus* ne verbum quidem vllum faciendum sibi censuit

Sub patibulo quid dixerint.

censuit ad circumfusam multitudinem; perstitit autem erecto sursum vultu, oculisque in cælum blandâ oris specie defixis. Et nescio sanè, an hæc tacita viri eloquentia, lætitiæ interioris tranquillæque mentis index, rebus præsertim ipsis ac factis tam luculenter prolata; non & tempori apta satis, & ad animos spectantium commouendos, vehementer efficax extiterit. At *P. Rodulphus* cùm de causâ mortis pauca sibi quædã dicenda putaret, tum ea ferè ad Vice-Comitem Londinensem, qui publico exigendo supplicio præesse cum potestate solet, in hunc planè modum direxit: *Domine Vice-Comes, cedo age, si lubet: quæ nos causa adduxit ad hunc supplicij locum? Cedo inquam, Domine, ecqua aduersum nos asseritur mortis causa?* Cumque similia iterum repetenti nihil is tamen tunc temporis responderet, perrexit Pater ipse rem breuissimè

uissimè explicare: *Vitam,* inquit, *in Comitatu Dunelmensi agebamus: illic capti, & Londinum vsque aducti longo sanè itinere sumus. Iamq; adeò in hac Vrbe, procul domo, subeunda mors est. Neque tamen interim contra nos venit quisquam, nullus accusator, testis nullus; nemo nos criminis vllius insimulauit, aut quod sciam, insimulare, si velit, potest. Catholicos quidem nos esse, ac Sacerdotes, & fassi ipsi sumus, & liberè adhuc fatemur. Atque hoc nimirum, hoc crimen illud est; hæc sola causa, propter quam viuere nobis diutiùs non licet. Idq; eo mihi mirabilius videtur, vt de meipso separatim loquar, quòd ego me in Hiberniâ natum testificatus sim, vbi numquam memini, aut Catholicæ Religionis, aut Sacerdotij professionem, patrio iure, pro capitali crimine haberi.* Hic Vice-Comes: *Quidquid,* inquit, de Hiberniâ sit, in Angliâ certè aliter se res habet. Vos homines litterati

estis,litterisque imbuti ex Angliâ in transmarinas partes traiecistis, susceptisque illic Ordinibus,& in hoc Regnum reuersi, prouincias obeundo populum ab Ecclesiâ Dei seduxistis. *Nos ab Ecclesiâ Dei*, excepit Pater, *neminem seducimus, sed ad Christi ouile deuium errore pecus reducimus. Quamquam ne hoc quidem ipsum, quod falsò crimen vocatur, vel probatum contra nos vnquam fuit, vel etiam pro Tribunali obiectum*. Immò verò, interpellabat rursum Vice-Comes, vos plures seduxistis; atque idcircò vobis hodie moriendum est, quia in regionibus exteris, vt dixi, Sacerdotes facti, rediistis in Angliam, & Regiæ Maiestatis subditos, contra Dei ac Regni huius leges, seduxistis. *Non contra Dei leges*, aiebat Pater, *non profectò. At si aliorum saluti studuisse, si sacros Ordines à Christo institutos ritè suscepisse, si ad fidem Orthodoxam*

doxam reuocâsse errantes, id demùm si eiusmodi est, vt & contra Regni leges existimari debeat, & morte expiandum scelus, intelligant velim vniuersi, non nos mortem hoc nomine reformidare, sed expetere, atque obuiis vlnis amplecti. Quare Domine Vice-Comes, Christo Saluatori pro nobis omnibus amantissimè mortuo, vitam nos hodie nostram, morti eius ac meritis millies debitam, libentissimè reddimus: illius amore, ac Religionis causâ, gaudentibus animis morituri.

Hæc summa dictorum fuit, animaduersa diligenter ab homine syncerè Catholico, qui propè tunc adstitit loquenti. Neque multò plura dicendi opportunitas extitit; ita turbatum maximâ temporis parte est circa vnum è quinario illo sontium numero. Nomen illi erat *Hauardo:* & dignus sanè est qui honoris causâ nomi- *Alterius eiusdam gloriosa fidei cõfessio.*

netur. Is de adulteratis pecuniis falsò, vt aiunt, postulatus, cùm paulò antè quàm ad supplicium educeretur conuersus ad fidem esset, ita eam liberè, ita intrepidè, tantoque sensu pœnitentiæ quòd seriùs veritatem agnouisset, professus est, vt in illum præcipuè incenderentur hæretici, illi præ cæteris negotium facesseret Caluini Ministellus, neque ferre iam posset palàm sub patibulo edicentem, *Sine fide Catholicâ-Romanâ spem nullam superesse felicitatis consequendæ.* Ac de salute quidem huius hominis, cuius constantiam nulla obloquentium importunitas labefactare potuit, optimè, vt arbitror, sperandum est. Certè *P. Rodulphus* suum salutis alienæ studium in hoc rerum articulo luculenter prodidit, variis eum modis in confessione fidei animando, cohortando ad perseueran-

uerantiam,atque ad extremum vſque ſpiritum,quantum locus ac tempus ferebat, conſolando.

Aderant interea clàm Sacerdotes, qui, ſigno quod conuenerat dato, Sacramentalem adſolutionem fortiſſimis Chriſti athletis impertiuere. Quam illi,tanquam miſſionem ex arenâ conſecuti,ſeque mutuo ſuauiſſimè amplexati, ſubducto mox carro,pependere aliquamdiu dum felices animæ corporibus exceſſiſſent.Hoc enim de ſeueritate legis remiſit iuſtitiæ Præfectus,ne ſemianimes, vt mos eſt, diſſecarentur. Quin & nouâ humanitate tentari etiam vtriuſque arteriam iuſſit, vt mortuos planè eſſe conſtaret. Verùm lenitatem iſtam conſequente ſtatim acerbitate fœdauit. Cremari enim illicò præcepit quidquid horum ſanguine reperiretur

Vtriuſque felix mors & ſequentia.

conſperſum; atque ipſa adeò lintea quibus præcingebantur carnifices, manicaſque brachiis inductas, elui: ne quid ſcilicet haberent canes Papiſtici (inhumanum dicterium!) quod venerabundi lamberent, aut Reliquiarum loco aſſeruarent. Non defuere tamen qui particulas de veſte *D. Ducketti* deſectas, alteramque eius manum abſciſſam, atque alia quædam, ſeu aſtu, ſeu pretio, ſeu piè audendo nanciſcerentur; quique integram *P. Rodulphi* ſutanam ad Societatis noſtræ Patres Londini verſantes, pignus acceptiſſimum referrent.

Peculiaris de P. Rodulpho notatio. Hæc ferè ſunt quæ de glorioſo Patris RODVLPHI ex hac vitâ tranſitu accipere hactenus licuit; accepimus autem ab hominibus fide digniſſimis, quique rebus ipſis interfuere. Si qua deinceps alia, vt

fit,

sit, paulatim innotescent; etiam illa, vt spero, suo tempore, ad maiorem Regis martyrum gloriam, in plurium notitiam venient. Vnum dumtaxat notare præterea libet: cùm passus is sit, vt diximus, anno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimoquarto, Societatis initæ vigesimo, septimũ iam mensem agens anni ætatis suæ quadragesimi septimi, septimo Septembris die, stylo veteri, stylo autem nouo ac nostro, decimoseptimo Septembris; eumdem ipsum diem hunc fuisse, quo septennio antè Pater eius *Gerardus Corby* feliciter expirauerat: is, qui inusitato exemplo, cùm ad Societatem IESV tres filios præmisisset, & ad venerabilem S. Benedicti Ordinem filias duas, (hodie etiam superstites in Cœnobio Virginum Anglarum Bruxellis,) neque plu-

res in viuis liberos haberet; mutuo & vnanimi coniugis consensu, annis abhinc ampliùs septemdecim, ita rebus humanis valedixit, vt in vitæ Religiosæ instituto filios ipse sequeretur ad Societatem IESV, in quâ sanctè est mortuus Wattenis: illa filias ad S. Benedicti disciplinam, sub quâ piè etiamnum degit Gandaui; seque adeò vterque, familiamque totam, conceptis ritè Votis Summo Numini consecraret.

Faxit vtinam Clementissimus Pater miserorum, vt miserrima nunc Anglia, Christi olim fidelis Sponsa, & Religiosorum hominum, si qua gens alia, fœcunda parens, redeat iterum ad obligatam Sponso cælesti fidem, redeat maturè ad Virginis Matris cultum, totque Martyrum suorum pretioso irrigata sanguine, reflo-

rescat

reſcat denuò ad priſtinos Innocentiæ fructus, prole nouâ, & caſtâ Sanctorum ſobole beanda! Amen.

FINIS.



Pro Fide ſuſpenſus et diſſectus Londini
1. Februarij Anno 1645.

CERTAMEN TERTIVM R. PATRIS HENRICI MORSÆI E SOCIETATE IESV

Pari cum prioribus palmâ decoratum Londini in Angliâ 1. Februarij stylo nouo 1645.



. HENRICVS MORSÆVS, *Patria* natione Anglus, patriâ Suf- *eius &* folciensis, ætate quinqua- *fides.* genarius, in Societate IESV trium Votorum Professus, cùm à teneris vitæ annis ex hæreticorum for-

formulâ educatus fuiſſet, adoleſcens factus ad meliorem ſe normam, Deo duce, direxit. Pueritiâ enim litteris humanioribus iam ſatis excultâ, dum ſe iuris prudentiæ & legum patriarum ſtudio daret, ſenſit in dies magis ſibi animum magiſque ſolicitari ſuborientibus identidem nouis de Religione dubitationibus, Quibus vt ſatisfaceret, remque tanti momenti ſyncerâ mente ac ſeriò perageret, in Belgium ſe contulit; vbi ſubductis maturè rationibus, hauſtaque diuinitùs fidei luce, in partes Catholicorum conceſſit: eo conſtantior futurus, quo deliberatiùs omnia expenderat, ſolâ veritate ac ſalute animæ ante oculos poſitâ. Et conſtantiæ quidem eius viſum Deo eſt ſine morâ periculum facere. Nam in patriam reuerſo impium illud iuramentum continuò proponitur, quo explorari fides Catholicorum ſolet; eoque

eoque ille, vt decuit, reiecto, carceribus primò, dein etiam exilio mulctatur.

In exilium pulſus Romam venit; vbi in Pontificio ſuæ gentis Collegio cùm in grauiores Philoſophiæ ac Theologiæ diſciplinas laudabiliter incubuit, tum in pietate aduerſus Deum, Obedientiâ erga Moderatores, charitate in Socios, in pacis & concordiæ fraternæ ſtudio, reliquiſque virtutum generibus progreſſus ſingulares fecit. Iamque adeò & ſacris ritè initiatus, & ab omni armaturâ ad præliandа prælia Domini egregiè inſtructus, rediit iterum in patriam, iterum pro hoſpitio carceres habiturus. *Studet Romæ.*

Neocaſtri enim, quæ eſt Northumbrorum vrbs primaria, in ipſo Inſulæ ingreſſu captus, examinatus, & ob fidei profeſſionem in publicam cuſtodiam traditus, grauiſſima illic incommoda tres ampliùs annos *Redux in Angliam in carcerem conijcitur.*

annos patientissimè tolerauit; iisque valetudinem sic afflictam tunc habuit, vt corpore penitus exhausto & grandi macie torrido, non vultu minùs quàm nomine mortem præferret. Obtinuerat is ab admodum R. Patre Nostro P. Mutio Vitellesco, Præposito tunc Generali, vt ab Vrbe in Angliam discedens in Societatem IESV adscriberetur; & ecce, hoc nunc habuit nouitij feruoris sui nobile Tyrocinium, hanc probandæ virtutis palæstram, hoc patientiæ gymnasium, hanc denique Religiosæ reconditæque Philosophię persanè aptam scholam. Nec Magister defuit: simul enim comprehensus, simulque in eumdem conclusus carcerem fuerat alius quidam è Societate Sacerdos, vir in hoc genere doctrinarum non malè exercitatus, quem ille nimirum vt Ducem suum, rerumque cælestium interpretem intuębatur.

batur. Præterquàm quòd Princeps ille mentium humanarum Doctor, Spiritus Diuinus, quo erat loci recessus ab omni rerum strepitu ac luce sciunctior, eo se insinuabat familiariùs, docilemque nactus vocis suæ intimę auditorem, animum eius pleniùs instruebat. Itaque hoc ei quotidie negotium fuit, hæc vna cura, vt saluti ac perfectioni propriæ vacaret, seque impenderet alienæ. Quo in genere dignum sanè memoriâ est quod contigisse accepimus, vt toto hoc temporis spatio quo in carcere fuit, vix vnus illic maleficorum abierit è vitâ, quem non is priùs operâ suâ ad Ecclesiam Catholicam reduxerit.

Tandem tamen mutare carcerem exilio permissus nauigio rursum in Flādriam appulit; vbi, in Domo nostrâ Wattenensi vitam aliquamdiu inter Nouitios singulari Sociorum exemplo egit. Pòst ad milites *Iterum exulat.*

tes

tes Anglos, qui in vicinis tunc oppidis hyemabant, miſſus, dum his controuerſiarum nodos expedit, illis fidei articulos illuſtrat, aliorum animos Sacramẽtis procurat, ſeque ad omnes induſtriæ partes excitat, vt adeſſe & prodeſſe omnibus poſſit, vigiliis laboribuſque extra modum ſuſceptis, graui iterum ruinâ præcipitatam valetudinem ſenſit, nihilque propiùs factum quàm vt exitiali morbo tolleretur. Verumtamen curâ charitateq; eximiâ Patrum Flandrorum in Collegio Caſſetano, vbi æger decubuit, ab ipſo mortis limine reuocatus, illis præcipuè, poſt Deum, reliquam ſe vitæ vſuram debere gratiſſimus agnouit. Redditus autem ſanitati ſuiſque, Wattenis primùm, Leodij deinde, Miniſtri munus obiit vigilanter ſanè ac prouidè, & magno vtique cùm domeſticæ diſciplinę ſtudio, tum ſingulis,

gulis, quà quidem fas erat, inseruiendi amore. Illud enim perpetuum habuisse videtur, vt legum nostrarum Scita, Superiorum iussa, non ab aliis exigeret diligentiùs, quàm seruaret ipse accuratiùs: ne latum quidem vnguem seu gratiâ, seu metu, ab Obedientiæ præscripto, rective conscientiâ discedens.

Ardebat illi interim animus eâ salutis alienæ cupiditate, quam intra vnius Collegij parietes explere non poterat. Adeòque volenti planè, ne dicam ambienti, sors illa obtigit, vt ad messem animarum vberiorem in Angliam remitteretur. In quâ messe colligendâ quàm is strenuè se gesserit, quàm multa præclarè egerit, quàm grauia quamque constanter perpessus sit, & longum esset persequi, & præter institutũ. Neque enim id nunc agitur, vt omnia scribantur; sed vt oculis legentium Actus *Mittitur secundò in Angliam.*

præcipuè postremus, quæque eôdem quasi lucem magis necessariam afferunt, narratione simplici subiiciantur. Quia tamen anno huius sæculi & sexto & septimo supra trigesimum, cùm dira Londini lues grassaretur, non operam tantummodò, sed vitam Pater Henricus suam, pro solatio pauperum Catholicorum, & quorumcumque infectorum auxilio, prompto gaudentique animo exposuit, Esset hic locus, vt video, memorandi nominatim, quæ ille tunc temporis & quanta ediderit Christianæ Religiosæq; virtutis documenta, quos laboresquo fructu susceperit, quas exhauserit molestias, quàm multis denique æternæ felicitatis aditum patefecerit. Verùm fatendum est, ad manum non esse quæ in Commentariolo quodam annotata singillàtim tunc fuerûnt de insigni operâ ac ministeriis in curan-

curandâ salute alienâ ab eodem Patre adhibitis. Qui, dum se aliis peste laborantibus intrepidè impenderet, pestiferâ ipse quae venis conceptâ extinctus haud dubiè fuisset, nisi, tam heroicæ charitatis exemplo, quàm scientiâ medendi nobilis, *D. Turnerus*, fœdum vlcus suâ manu attrectando secandoque præsenti eum periculo exemisset.

Quo tamen periculo ægrè defunctus, in aliud haud leuius incidit. Vix enim Medici prędicti ope conualuerat ex morbo, cùm ad priora charitatis officia maiore animo reuersus, ab iniquis Apparitoribus nono Martij capitur, iniuriosè deinde & contumeliosè vexatur; abripitur ad carcerem, in ius raptatur; vbi geminam aduersus se Accusationem recitari audiit: Alteram, *quòd Sacerdos factus esset per auctoritatem à Sede Romanâ deriuatam:* Alteram, *Capitur, & Sacerdotij damnatur*

quòd Regiæ Maiestatis subditos seduxisset, fidem illis religionemq́ Romanam persuadendo. Nimirum hæc illa duo sunt ingentia scelera, pro quibus & hic, & tot iam antè fortes Christi athletæ in calamitosâ patriâ nostrâ, malis nunc omnibus & malorum maximo Hæresi infessâ, vitam amiserunt. Quamquam, etiam horum duorum criminum secundo (quod erat de fidei persuasione) ita Iudicum sententiis vindicatus tunc Pater est, vt eum in hoc genere innocentem planè pronuntiarint; quippe quem dicerent, non id scilicet malo animo fecisse, neque eâ mente vt subditos Regis ab obedientiâ fidelitateque debitâ auocarent. At primum illud, de Sacerdodotio, id verò vrgebant vehementiùs, aliquid extorquere conati, quo suâ eum confessione arguerent. Verùm prudenter ille in neutram partem affirmabat negabátve:

professus tantummodò, *tam sacro se tamq; sublimi munere indignum esse*, rei totius probatione reliquâ aduersariorum testimoniis permissâ. Quæ etsi idonea non erant, ea tamen secuti in suffragiis ferẽdis Duodecim-Viri(quorum est apud nos,vt suprà dixi , de crimine & facto , non de pœnâ sententiam dicere)Patrem Henricum Sacerdotij,cuius accusabatur,reum,eoq; nomine *Sontem* pronuntiauerunt. Subsecutumq; haud dubiè fuisset damnatoriũ de more iudiciũ,nisi intercessisset Serenissima Regina(à cuius peramplâ munificẽtiâ varia miseris subsidia acceperat Pater,variasque eleëmosynas,dũ peste infectis inseruiret) nisi eius inquã rogatu, rei indignitatẽ questæ,cõmotus Rex,inhiberi illicò damnationẽ iussisset.Id quod accidit an. Christi 1637.4.Maij. Quo ille die ad carcerem reductus indictâ sentẽtia,nõ ita multò pòst tem-

tempore,etiã inde emissus est,cùm reperirétur nobiles quidã Catholici,qui se spõte pro eo prędes darẽt,eiusq; sistẽdi ita vades fierent, vt si ille ad diem, quo fortè citaretur ; non adesset, mulctam ipsi pecuniariam luerent decem millium florenorum. Egit his Pater, vt par erat, pro tantâ benignitate gratias ingentes, eaque semper cautione libertate est vsus, vt iis damno ne foret. Quinimmò, vt amantissimos Sponsores suos omni syngraphæ obligatione in perpetuum absolueret,in exilium ipse concessit: Regio videlicet obsecutus Edicto,quo sub præsentis Parlamenti initia, Sacerdotibus Papisticis præcisè mandabatur,toto Regno excederent vniuersi ante septimum Aprilis anni 1641. ni seueriùs legum pœnas,omniaque experiri supplicia mallent.

Tertiò exulat. Cessit is igitur, non pœnarum metu,

quas

quas Christi amore etiam ambiisset, sed eâ quam dixi causâ, aliísque consentaneis pietati rationibus adductus. Rediit in Belgium, vbi in Missione Castrensi, sedulam planè operam nauauit & fructuosam ad auxilium spirituale Legionis Anglæ, cui Tribunus tunc præerat *D. Henricus Gagius*: is, qui anno proximè elapso cùm ad patriæ calamitates ope suâ subleuandas mente optimâ accurrisset, essetque iam & vrbi, & Prouinciæ Oxoniensi cum amplâ potestate præfectus, ingens sui desiderium reliquit immaturâ morte sublatus; fatentibus passim cunctis, & causam Regiam, & rem illic Catholicam, tanti Ducis interitu immanem iacturam fecisse. Huic inquam viro, non scientiâ magis & virtute bellicâ, quàm omni laudum genere eximio, ita se moresque suos P. Morsæus breui temporis interuallo probauit, vt ab eo-

vix aliâ frequentiùs quàm *Sancti Patris* appellatione ſignaretur. Sed erat nimirum Sanctitas hæc maiori iterum theatro proponenda, & ab anguſtis vnius legionis Caſtris, ad Regionis ampliſſimæ largiora ſpatia traducenda.

Tertiò in Angliam mittitur. Itaque cùm nihil is magis in votis haberet, quàm vt reuerti ſibi denuò liceret ad auxilium patriæ, cumque iam ſæpiùs magno animi ardore id ipſum à Superioribus contendiſſet, viſum tandem eſt tam ſancto eius ſtudio, vehementiq; rei piiſſimæ deſiderio ſatisfacere; admonituſque Gandaui fuit anno 1643. vt ſe rurſus ad reditum in Angliam pararet. Exiliit enimuerò præ gaudio, flexiſque humi genibus gratias immortales Deo Moderatoribuſque egit de optatiſſimo nuntio: nec tenere ſe diutiùs potuit, quin obiret continuò Patrum cubicula, & domeſticos pleroſq; con-

conſcios lætitiæ redderet: ſpem enim bonam, ac penè certā conceperat, ad beatam ſe mortem reuerti. Cumq́ue amiciſſimos quoſque valere iuberet, abſolutâ quadam promiſſione fidem obligabat, eorum ſe vtique memorem fore quando ad patibulum plectendus ſiſteretur. Hoc ergo animo, hac fiduciâ plenus, ad partes Inſulæ Boreales rediit, illic in poſterum, obſtrepente licet armorum tumultu, labores quoſcumque in animarū lucro, & quamdiu Deo viſum foret, ſuſcepturus. Sed quid quæris? Iam præmiū ſibi poſcebant cumulata viri merita, tempuſq́; dudum erat, maturā cęlo virtutem, ſuauiſſimoſq́ue decerpi charitatis fructus, Superûm mēſis tēpeſtiuos. Poſtquam igitur ad ſeſquiannum aut ampliùs ſtrenui illic vtiliſq́; operarij partes exēplo optimo egiſſet, incidit denique in poteſtatē hoſtium, etiam non quæſitus,

Captus euadit. Nam cùm aliam nescio quam prædam spe deuorassent, illâ frustrati, in hanc manus iniecerunt; Patremque per Cumberlandiæ fines ad eamdem fortè domum euntem, vt ægro cuidam opem salutarem ferret, tanquam de Sacerdotio suspectum comprehenderunt, & ad carcerem Dunelmensem, vbi vlterior de eo inquisitio fieret, submiserunt. Ibat ergo Dunelmum, additis circùm custodibus; iamque plurimum viæ processerat, cùm inclinato ad occasum sole subsistere coactus, ad vicinam Constabularij domum abducitur eâ nocte asseruandus. Est autem Constabularius, qui in singulis ferè pagis, tanquam publicus quidam Custos & Conseruator pacis sub præcipuo Comitatus Irenarchâ cæteris cum auctoritate præest. Is tunc temporis domo aberat; Coniux autem cùm inaudiret qualē sibi captiuum commisis-

misissent, humanissimè enimuerò & officiosissimè hominem accepit, in opportunius exstructo igne cubiculum deduxit, cœnam ipsa appatauit, nullo adhuc vnde se cuiquàm aperiret sermone habito. Tum remotis paulatim de industriâ, alio post alium, famulis liberisque, cùm iam sola cum solo maneret, professa est illicò, id quod erat, Catholicam se esse: etiam atque etiam obtestata, ne sibi is vicissim fateri dubitaret, num Sacerdos foret. Quòd si esset, statim se vtique ante mariti reditum, incolumem eum dimissuram. Pater, cùm satis exploràsset rem syncerè agi, enuntiauit mysterium; negauit tamen commissurum se vt è domo fugeret, quippe qui id hospitæ periculosum fore videret. At illa contrà, animosior quàm pro sexu, nihili periculum pendere; immò certum sibi esse confirmare, fortunas, vitam,

omnia

omnia potiùs in diſcrimen offerre, quàm innocentem, ac Sacerdotem fidei hoſtibus prodere. Proinde cibo aliquantiſper ſumpto, maturaret continuò fugam, ſibiq́; prouideret; ipſi autem hinc timere ſoliciſque eſſe deſineret. Quid multa? Diu refragatus, ad extremum nihilominùs vinci ſe patitur, & conſtantiſſimæ mulieris pietati manus dat. Itaque largam à Deo remunerationem tantæ tamq́ue inexpectatæ charitati precatus, cùm eiuſdem quoque operâ quoſdam ſibi notos ex vrbe Catholicos ad certum quem condixerat locum accerſiri curaſſet, eodemq́; ſe, clàm domo ſubductum, per deuios tramites contuliſſet, iſtis demùm quos dixi itinerum ducibus, quater dena circiter millia paſſuum pedes eâ nocte confecit, & in illo regionis angulo, ad quinque deinde aut ſex hebdómadas, ſecurus delituit.

Poſtea

Postea verò emergere è latebris, séque alið transferre statuit. Asciscit sibi hominem perquàm fidum & viarum peritum; eóque præeunte, haud ampliùs vno alteróve milliario illis iam ędibus aberat quas animo destinauerat, cùm repentè spem reliqui successus res mira præcîdit. Viæ præmonstrator (casu id an diuinitùs cõtigerit in medio relinquo) illis ipsis à semitis, quas frequenti itione triuerat, vsque adeò aberrauit, omni earum memoriâ quasi penitùs amissâ, vt quam deinceps viam insisteret, quà cursum flecteret, non haberet. Quod vnũ restabat, ad cõspectã in viciniâ domũculam diuertit de viâ percõtaturus, vnaq; ibat, vt fit, P. Morsęus: cùm ecce hominẽ in limine offendũt velut ex composito opperientẽ; qui ad Patrem cõuersus sciscitatur, an nõ is idẽ ille sit, qui captiuus nuper Dunelmũ missus, elapsus è custodiâ militum aufu-

Vltimò capitur.

aufugiſſet? Pater improuisò deprehenſus cùm diffiteri nollet, tenetur, vincitur, ad ergaſtulum abripitur. Aduenerat nimirum tempus, quando ſupremus Agonotheta præſtantem pugilem ſuum tot præuiis laboribus exercitum, tot periculis duratum, tot certaminibus eruditum, producere tandem in arenam palmariæ fortitudinis cogitabat: alioqui tam explicita euadendi ratio haud vnquam irrita cecidiſſet.

Auehitur Lōdinum. Poſtquam igitur multarum hebdomadum grauem fœdumque carcerem Dunelmi pertuliſſet, indè primò Nouum-Caſtrum, mox naui Londinum auehitur. Quâ ille in nauigatione, & horribili procellâ iactatus alteram ante oculos ratem abſorberi fluctibus conſpexit, & tales ferè erga ſe expertus eſt nautas, quales ſanctiſſimus olim Martyr *Ignatius* (cuius anniuerſa-

uersario die passus etiam est) habuisse se scribit in itinere Romano corporis sui custodes milites: *Quibus & cùm benè feceris, peiores fiunt*. Subierant autem inter nauigandum portum *Garianonum* (vulgò *Yarmouth* dictum) *Noruico*, Norfolciensis Prouinciæ principe vrbe, quinque plus minùs leucis distantem; cùm accurrit illicò re intellectâ Patris Morsæi germanus frater: vir illic loci opulentus, & inter iuris aduocatos existimationis sanè atque auctoritatis magnæ. Qui etsi vitio temporum sectæ Protestantium adhæreret, eo tamen semper amore fuit aduersus fratrem suum Henricum, quo de nunc agimus, vt casu hoc eius cùm indoluerit vehementer, tum continuò statuerit, operæ nulli, nullis impensis parcere, quò pristinæ eum libertati restitueret. Postquam ergo & præsentibus incommodis subuenisset, & ad futuros

vsus

vſus pecuniam ei prolixè ſuppeditaſſet (quã Pater deinde, quâ erat ſemper in egenos cõmiſeratione ſingulari, haud minùs liberaliter in pauperes erogauit,) diſceſſere ambo, alius mari vt cœperat, mox terrâ alius, Londinum properaturi. Antè tamen nautas militeſque obligauerat *D. Morſæus* datâ mercede, vt humaniùs deinceps fratrem tractarent. Promiſere illi quidem, ſed neſcio an promiſſa patrauerint; certè cùm Londini in aliorum manus captiuum traderent, rogarenturque quem, & quorſum adduxiſſent, reſpondiſſe barbarè feruntur: *Partes nos noſtras egimus, vos nunc item veſtras agite, hominemq; ſi lubebit ſuſpendite.*

Ad carcerem abducitur. Iuſſus eſt igitur ad carcerem abduci, *Nouam-portam* nomine. Verùm inter ducendum, cùm per ædes Comitis *Egmontij* Londini commorantis tranſiret, veniam ſibi

ſibi fieri tantiſper à ſatellitio petiit, dum obſequij eum cauſâ adiret. Data eſt [redacted] venia, duxitque ſibi honori Comes talem domi ſuæ hoſpitem recepiſſe. Rogatiſque cuſtodibus vt aliquamdiu expectarent, Patrem ipſ[redacted] in cubiculum & conclaue proprium deduxit; cumque Sacra ibidem facienti miniſtraſſet, & benedictionem exoraſſet, commendauit inſuper ſanctis eius precibus varia, quorũ pollicitus is eſt nunquam ſe immemorem futurum. Facta pòſt etiam poteſtas fuit alios quoque nonnullos inuiſendi, ſpondente pro eo Comite, & ſatellites, fide datâ, ſecuros reddente. Tum verò, cùm ſe iterum Pater poſt horas aliquot Cuſtodibus ex fide reddidiſſet, ad carcerem *Neoportam*, vt iuſſum fuerat, abductus eſt 24. Ianuarij; vigeſimo autem ſeptimo ſtetit pro Tribunali. ſed nihil tunc magnæ rei eſt actum;

 amplia-

ampliauit enim reos Iudex, conſeſſumque prorogauit.

Pro eo liberãdo fruſtrà agitur. Aduolauerat interea ad vrbem *D. Morſæus*, nullamque prætermittebat diligentiam, quà amicorum ope, quà mercede propoſitâ, fratris libertatem procurandi; pro qua etiam tria millia florenorum obtulit. Sed erat in conſpectu Domini pretioſior ſancti ſui mors, quàm vt eam ſineret pretio quouis auferri. Saltem exilio vt mulctaretur vrgebat idem: chirographo ſe ſuo obſtricturum pollicitus de viginti millium florenorum ſolutione, ſi poſthac vnquam in Angliam rediret. Quo de negotio vt inaudiit Pater, etſi nihil accidere potuit votis alienius, tamen, vt ne ſuo ſe regeret arbitrio, verùm, vt antè ſemper, ita nunc quoque ad amuſſim normamque Obedientiæ ſingula exigeret, ſcripſit eâ de re ad Superiorem in hæc verba: *Aueo*

ſcire

ſcire ex R.V. quid ſentiat: an ego patiar meâ causâ tantam adhiberi ſedulitatem, tamq́ extraordinarias impenſas non optimo exemplo fieri? An omnia potiùs ſanctæ Dei prouidentiæ, vſitatoq́ rerum curſui permittam? Equidem, quod ad me attinet, cupio diſſolui. Si tamen populo ſim neceſſarius, non recuſo laborem. Sed dubitationem iſtam res ipſa breui ſuſtulit. Poſtridie enim quàm hæc ſcripſerat, qui erat dies Ianuarij trigeſimus, euocatus rurſum ad Tribunal eſt, recitatâ Accuſationis ſchedulâ in hanc formam: *Quòd Henricus Morſæus, ante annos aliquot Sacerdotij conuictus, regnoq́ egreſſus, reuertiſſet.* Reſpondit ille, *conuictum ſe quidem antehac fuiſſe Sacerdotij, ſed tenuibus, vt arbitrabatur, argumentis, teſtibuſq́ haud ſatis idoneis. Quid ergo,* inquiunt, *an Sacerdos non es? An non priori conuictione ſtandum putas?* Ego verò, aiebat, *de meipſo nihil ſtatuo; honorato Iudicum con-*

sessui remitto vniuersa. Ita paucis expedito negotio, iuxta priorem de quâ dixi Conuictionem, damnatur solemni formulâ de *Sacerdotio* (quod apud illos videlicet Perduellionis est crimen) adeoque Perduellium supplicio perendie necandus, frustra omnia obnitente fratre, ad carcerem vnde venerat relegatur.

Magnus ad eum in carcere concursus. Quem eius carcerem nescio an veriùs quasi mercatum quemdam dixerim, quò iam sexús omnis & ordo confluerent, vel aspectum sancti viri, vel faustam eius precationem, vel vocem aliquam consolatoriam, vel reculam ab eo quantumuis exiguam, magno periculi sui pretio empturi. Præsertim verò pridie quàm pateretur, res mira & digna visu fuit, vt contempto fortiter discrimine quod imminebat, à primâ diei horâ ad extremam vsque, centeni deinceps ac centeni concurrerint, quà

beato

beato Christi athletæ gratulatum felicitatem propinquam, quâ sibi afflictisque rebus suis opem ab eo, cùm ad cælos migrasset, postulatum. Accessere etiam ex hæreticis nonnulli, qui satisfieri sibi peterent à Patre de duobus Quæsitis: Primò, *an posset quis per Christi merita salutem consequi sine inuocatione Sanctorum?* Secundò, *an is iam moriturus esset pro Religione suâ, crederetque se ad Inferos damnandum, si extra Ecclesiam Catholicam-Romanam obiret?* Dici enim vix potest, duæ istæ calumniæ, quas Catholicis imponunt, quàm altè hodie in multorum Protestantium animis defixæ hæreant: videlicet, quòd nec satis virium sit in solius Christi Passione, sine ope Sanctorum, nec quisquam è nobis reperiatur, qui pro religione sic vitam sponte det, quasi ea religio ad salutem necessària existat. Respondit igitur Pater ad vtrumque

Quæsitum separatim. Et *ad primum quidem, præcisè loquendo, posse hominem cælo potiri Christi meritis nixum (quippe quæ per sese essent abundantissima ac planè infinita) etiamsi reipsâ contingat vt Sanctos fortè non inuocet; modò tamen credat, quod credendum est, quodq́ue præcipit Ecclesia, licere Sanctos inuocare, eamq́ue consuetudinem piam esse ac laudabilem, & cum fructu vsurpari. Quod ad alterum attineret, mortem se omnino oppetere ob causam dumtaxat Religionis Catholicæ, extra quam certus esset ac securus seruari posse neminem. Veritatem porrò Ecclesiæ Romanæ, præter cætera, testari ipsa quotidiana miracula, quæ inibi etiamnum, nec vsquam alibi patrarentur. Ibi mortuos adhuc resurgere, mutos loqui, cæcis visum restitui, eiici dæmonia, alia supra naturam conspici, seq́ue ad huius testationem veritatis sanguinem libentissimè fundere.* Id quod magno animi ardore, contentaque voce profatus est, etsi

co

eo die ad veſperam vſque nec cibo ſe, nec potu refeciſſet.

Sub noctem verò illam, quæ ad diem æternitatis tranſituro extrema fuit, aduenere adhuc frequentes viri feminæque, tam virtute, quàm genere nobiles, carceremque ingreſſi ſunt, vt à Religioſo Dei Sacerdote vltima acciperent ſalutis monita, & Sacro eius poſtremo, ante Sacrificium eiuſdem cruentum mox ſecuturum, ſummo manè intereſſent. Verùm eo ſolatio quietè frui per inhumanos impioſque ſatellites non licuit; qui nocte mediâ ex Parlamenti, vt aiebant, mandato immiſſi, comprehenſos pleroſque ſub eâdem cuſtodiâ tenuerunt, donec ad poſteri die veſperam collatâ pecuniâ libertatem redimerent. Afflixitque is caſus vix illos ipſos magis, quàm Patrem, alienis malis, ſuâ præſertim causâ toleratis, tenerrimè

Alij eodē confluentes detinentur.

indolentem. Quos proinde ſpeciatim poſtea allocutus, & ad ſingularem quamdam de Diuinâ prouidentiâ bonitateq́ue fiduciam cohortatus eſt; polliciturſq́ue, quoniam pro iis apud immites & inexorabiles apparitores, etſi multa ſedulò tentaſſet, nihil tamen efficere potuiſſet, apud mite ac potens Dei Numen deprecatorem ſe, vt ſperabat, feliciùs acturum.

Legatorum erga Patrem pietas.

Iam hominibus exteris aditus aliquanto liberior patuit; quos inter, veneratione in ſanctum Chriſti pugilem, primas tenuerunt Catholicorum Regum ac Principum Legati; qui, vt in mediâ Hæreſi triumpharet magis Catholici nominis profeſſio, ſummo eum honore ad extremum vſque proſecuti ſunt. Nemo credo omnium extitit, qui per ſe, aut ſuos, carcerem non adierit, quiq́ue pro ſuorum Principum negotiis preces eius non implora-

plorarit ſingulari cum fiduciâ: tam firma perſuaſio erat de viri ſanctitate, religione, beatæque mortis apertiſſimâ causâ. Et legatus quidem Catholicæ Maieſtatis cùm impediretur ipſe præter voluntatem, certos homines ex ædibus ſuis ſubmiſit, qui id officij præſtarent. Neque id minùs egit benignè Chriſtianiſſimi Regis legatus, ſciſcitatus etiam à Patre per nobiles internuntios, an & quando eum inuiſere ſine incommodo liceret. Cumque deinde inexpectatam ei moram magnus quidam hoſpes iniecíſſet, miſit rurſus officioſiſſimè qui ſe eò nomine excuſatum cuperet. Agnouit enimuerò nimiam hanc humanitatem modeſtiſſimus Pater, atque ad animi ſui ~~ſatisfac~~tionem aliquam, Crucifixum ei argenteum dono tranſmiſit; rogauitque ſuppliciter, pergeret porrò Catholicæ Religionis defenſionem in An- teſtifica

gliâ cordi habere Catholicosque ipsos turbidissimis hisce temporibus tueri. Absente autem Imperatoris Residente, is qui ab Epistolis ipsi est, & locum iam supplet, cùm ter illum amantissimè inuisisset, & quidem nouissimè vnâ tantùm horâ antequam educeretur ad supplicium, non sine admiratione testatus est, se lætum semper ac sui similem reperisse. Immò, *numquam*, inquit, *in vitâ meâ maiorem constantiam, sereniorem vultum, lætiorem modestiam, benigniorem affabilitatem vidi: videbatur mox iturus ad nuptias.* Quin illud etiam pietati suæ laudatissimè indulsit, vt & Missam eius ibidem audiret, eidemque Confessus, sacro Christi corpore de illius manibus sumpto reficeretur. Nobilis verò quidam Lusitanus venit simulato habitu, idque pedes, cum Dominâ coniuge, per mediam pluuiam, plateasque lutulentas.

Sed

Sed hæret mihi lentus calamus, & velo̲ces vltimæ noctis horas tardiùs sequitur; quas interim R. Henricus cùm insomnes habuit, tum summâ mentis attentione aliorum solatio impendit: consiliis, monitis, responsis, satis omnibus sine vllâ intermissione sic faciendo, quasi singulorum dumtaxat negotium agendum illi foret, aliud nihil. Ita sibi vbique ac Deo præsens, plus penè, quàm poterat, potuit. Hora tam quarta erat, & crepusculum propè matutinum, cùm ad rem Diuinam piissimo animi affectu faciendam præparat sese, recitatis priùs pro Conuersione Angliæ consuetis Lauretanæ Virginis & Sanctorum omnium Litaniis. Missam autem obtulit de Sanctissimâ Trinitate Votiuam, in gratiarum actioné pro inexplicabili felicitate mortis Christi causâ oppetendæ. Post Sacra, sermonemque rursus ali-

Pater dicto Sacro valedicit sociis in carcere.

aliquem cum aduentantibus habitum, viſum eſt, graueſcentibus vigiliâ oculis, horulam vnam haud ampliùs, quieti dare. Qua elapsâ expergefactus, perſolutoque precum Canonicarum penſo, adiit ſingulorum cubicula carcere commorantium, eoſque renidenti ſimilis, eâ vultus amænitate valere iuſſit, vt tantâ animi magnitudine omnes obſtupeſcerent. Rediit deinde, & in conclaue quoddam ſecretius, ab alio ſibi perbenignè commodatum, vnà cum altero è Societate IESV Sacerdote abdidit ſeſe. Illic verò in virtutum nobiliſſimarum actus, atque ardentiſſimam inprimis Diuini Numinis charitatem, vires animi vniuerſas profudit; eoque in ardore tamdiu perſtitit, quoad fatalis eum nuntius inſtare extremam luctam admonuit, & ad lauream glorioſæ mortis euocauit. Quo ille nuntio audito,

bone

bone Deus! quàm promptus & alacer in genua prouolutus, oculis manibusque in cælum sublatis, immensas æterno Deo gratias egit! vt eius in se infinitam misericordiam exquisitis planè verbis prædicauit! vt se totum ei in holocaustum penitùs consecrauit, eo vocis sono, eo habitu oris, vt intimis omnino sensibus circumstantes commouerit! Cumque moneret alter: pergeret porrò in optatos IESV Christi amplexus, in occursum Deiparæ Virginis Sanctorumque omnium, qui è cælo spectarent decertantem; succlamans excepit illicò: *Veni mi* IESV *dulcißime, vt tibi indissolubili nexu vinctus, nullâ dehinc vi, nullo vnquam tempore, nec æternitate diuellar. Venite vincula, crates, tormenta, probrosæ mortis laniena, venite;* IESV *Saluatoris mei causâ, grata mihi inprimis & iucunda estis.*

Quæ vbi dixerat, extremum salutatum

adiit

P. Christophorum Vltanum amplectitur.

adiit Patrem Christophorum Vltanum, virum è familiâ S. Francisci tam virtute quàm scientiâ præstantem; quem, nescio quo casu, ex Hiberniâ, vnde oriundus erat, per vim abduxerant hæretici, modisque indignissimis solâ Religionis causâ exagitatum, carceribus denique concluserant. Ad hunc, inquam, Vale vltimum dicturus accessit Pater, mirificâ quadam vultus serenitate extraordinariam præferens mortis despicientiam; hominemque blandissimè intuitus, & arctissimo simul complexu stringens, tantam ei tamque inusitatam animi lætitiam cum inflammatâ Martyrij cupiditate inspirauit, vt nihil is vnquam in vitâ simile expertum se esse meminerit. Idque ipsum Pater Vltanus & crebro pòst sermone vsurpare solebat manantibus gaudio lachrymis, & in illa sæpiùs verba admirabundus prorum-

pere:

pere: *Bone* I E S V! *nam qualis ille vultus erat!* Quin & iſtuc inſuper adiecit: ſi aut prauis antè hæreſewn opinionibus irretitus, aut in Ethnicarum ſuperſtitionum tenebris demerſus iacuiſſet, vnicum illum cæleſti redundantem lætitiâ aſpectum, internamque ſuauitatem, quâ ſe vltimos inter amplexus perfuſum ſenſit, inſtar omnium ſibi rationum futura fuiſſe ad eamdem cum P. Henrico fidem præ cunctis deligendam: ita neſcio quid plus quàm humanum id erat, & ſupra quàm ſaperet mortalitas; neque breue ac momento diffluens, ſed ſtabile ac permanens, quodque ei ad extremum vſque vitæ ſpiritum perdurauit.

His ita geſtis, ad horam nonam matutinam, adeſt ecce Præfectus iuſtitiæ Vice-Comes Londinenſis, ſuaque manu captiuum educit è carcere perquàm ſanè humani- *Educitur ad ſupplicij locum.*

maniter; traham cui quatuor iuncti equi, vimineaſque iniectas crates, ad commodiorem eius vſum compoſito ſtramine adaptat; ſicque per vrbem rapi iubet ad Tiburni patibulum. Nondum ad ſupplicij locum peruenerant, cùm rhedâ vectus Regis Galliæ Orator Patrem aſſequitur, eumque venerabundus, inſpectante multitudine, & benedictione demiſsè petitâ, ſalutat. Poſtquam ad Tiburnum conſtiterant, inſolitâ iterum humanitate Vice-Comes ſummouere populum, vt inter Legatum ac Patrem nemo ſe auderet medium obiicere. Miſit item deinde qui legato ſignificaret, vt ſi minùs commodo loco eſſet, propiùs cum ſuis accederet, fieretque ex vicino colloquendi copia. Deſcendit is illicò de curru, pedeſque ad traham veniens, communem Chriſtiani orbis pacem, Regnum Galliæ, Regem ac Regi-

Reginam Patri enixè commendauit; qui humiliter iuxta ac fideliter omnium se memorem fore ſpopondit. Néve pro tanto eius affectu, atque vltimo obſequio teſſeram nullam relinqueret beneuolentiæ ſuæ, ſtrophiolo eum quod ad manum habebat, nobilem verò eius comitatum nummulis quibuſdam impreſſo dente curuatis donauit. Cumque haud procul inde Egmontium conſpexiſſet in rhedâ, latinè eum his ipſis verbis compellauit: *Illuſtriſſime Domine, memor ero promiſſi mei, nec ero ingratus coram Deo pro beneuolentiâ & charitate quam mihi D. V. exhibuit.* Reſpondit item latinè Egmontius, lætari ſe incredibiliter de tantâ tamque manifeſtâ Omnipotentis Dei in ſeruo ſuo gloriâ, ſortemque ei tam felicem & optatam ex animo gratulari. Cumque conſimilia quędam bono adſtantium exemplo proſecu-

tus eſſet, tam ipſe, quàm Legatus Vale illi vltimum officioſiſſimè dixerunt, reliqua ſilentio ſpectaturi.

Conſcẽſo carro ad populum verba facit.

Solent in Anglia capitali ſupplicio mulctandi plauſtrum ſub patibulo conſcendere, vbi laqueus illis inijcitur, quo plauſtro ſubinde abacto, ſuſpenſi manent. Iam plauſtrum conſcenderat generoſus Chriſti athleta, colloque laqueum innexuerat carnifex, cùm facta ei eſt à Vice-Comite dicendi poteſtas, eâ conditione, vt ne Regem aut Parlamentū, Regni leges eiuſue adminiſtrationem attingeret. Ergo clarâ voce præſentique animo ita orſus eſt dicere. *Veni huc, Auditores ſi neſcitis, Religioni cauſâ moriturus: illius inquam Religionis, quam Eccleſia profitetur Catholica Romana, quæ à Chriſto fundata, ab Apoſtolis ſtabilita, per omnia deinceps ſæcula ad hunc vſque diem Hierarchiâ ſemper viſibili propagata fuit, Scri-*

ptura-

pturarum testimoniis nixa, Patrum & Conciliorum authoritate fulta, extra quam denique spes esse nulla salutis potest. Ne quæso, Domine *Mors*, interpellabat Vice-Comes, ne quid istiusmodi cum offensione populi dicatur. Quin potiùs, si quam nosti aduersus Regem aut Parlamentum proditionem, eam nunc morti proximus edisſere. *Benè habet*, inquiebat Pater, *audite. Fuit, cùm & ego in hac Vrbe Londinensi partes Protestantium secutus, dum legum municipalium studio in Collegiis Iurisperitorum operam nauarem, scrupulis circa religionem angerer. Traieci in Belgium, Catholicæq; fidei certissimam veritatem edoctus, exui errores pristinos, certus in posterum Ecclesiam Romanam sequi, Ecclesiarum omnium Magistram. Non ita multò pòst in Angliam reuersus, cùm oblatum prætensæ fidelitatis Iuramentum recusassem, in vincula coniectus fui, & inde quamuis nondum Sa-*

cerdos exilio mulctatus. Contuli me Romam, & in studiorum curriculo septennium expleui. Patriam deinde repetij zelo animarum ductus; Vbi inter cætera erga proximos officia, grassante hîc ante annos aliquot pestiferâ lue, volenti gaudentiq; animo operam addixi pauperum Catholicorum aliorumq; peste infectorum auxilio, neque quidquam, vt spero, prætermisi, quod ad Spirituale eorum solatium conduceret. Non te oportet in eiusmodi gloriari, aiebat Vice-Comes, quique illi adstabat graui supercilio è Caluini grege Minister. *Imò verò,* respondebat Pater, *libenter gloriabor in infirmitatibus meis; Deo enim totum adscribo eiusq; laudi, qui operâ vti meâ in tam pio ministerio dignatus est, quique mihi hodie largitur, vt Catholicæ Religionis professionem meo sanguine obsignem: Quod ipsum à Diuinâ Maiestate annos iam triginta crebris supplex precibus poposci.* Habes nunc ergo subijcie-

bat

bat Vice-Comes & Miniſtellus, habes quod expetiſti. *Ita eſt aiebat Pater, eoq́ nomine gratias ago immortali Deo quàm poſſum maximas, precorq́ vt mors mea pro huius Regni peccatis aliquâ ex parte ſatisfaciat. Certè ſi tot mihi vitæ eſſent, quot arenas mare alluit, eas ego omnes libentiſſimè hunc ob finem, & ob fidei Catholicæ teſtimonium prodigerem. Quæ nimirum fides ſola eſt vera, ſola certa,* (atque hîc ardentiori zelo incitatus interrumpi noluit,) *ſola continuis miraculis confirmata: Cæci enim vident, muti loquuntur, mortui reſurgunt. Quid ais Domine Vice-Comes? ſi ad vitam redire mortuos cerneres, nónne crederes? Dic ſodes, nónne veram aſſereres illam eſſe Eccleſiam, vbi hæc patrantur? Enimuerò teſtimonia tua Domine credibilia facta ſunt nimis. Sed quia quæſitum ex me fuit, num conſpirationem aliquam contra Regem aut Parlamentum compertam haberem, rogo te Domine Vice-Comes,*

attende diligenter quæ nunc magni momenti dicturus sum; dicam autem coram Deo syncerè. Nullàm ego vnquam in vita proditionem noui, nedum vllius particeps fui. Vnum verò certißimè exploratum habeo: causam horum omnium tumultuum calamitatumq́; in Anglia Hæresim esse, & tot colluuiem sectarum. Quæ quamdiu veneni instar per huius regni viscera serpserint, næ vos frustrà quietem, pacem, malorumúe remedium vllum expectabitis.

Post preces ad Deũ placidissimè moritur.

Noluit hîc pati Vice-Comes vt vlteriùs progrederetur, monuitque preces vt funderet, seque ad mortem pararet. *Faciam equidem, vt mones,* dicebat Pater, *meq́; vt potero ad excessum è vitâ præparabo: quod ab annis sanè triginta postquam Ecclesiæ Catholicæ adiunctus sum, feci.* Tum paulisper animum collegit, & sublatis in cælum oculis manibusque sic clarâ voce orauit: *Sempiterne Deus Pater, Fili, & Spiritus sancte,*

humil-

humillimè veniam peto delictorum meorum; Etenim grauem me peccatorem agnosco, qui summam bonitatem tuam ex humanâ fragilitate plurimum offenderim, iracundiâ præsertim, & piæ inter preces attentionis defectu. Pœnitet me ex toto corde, & sicut omnibus condono qui me vnquam offenderunt, iisq; præsertim qui manus nunc suas sanguine meo cruentarunt, ita veniam humiliter ab omnibus peto, quibus ipse quoquo modo offensam prabui. Cumq́ue alia quędam in hanc esset sententiam precatus, orauit denique nominatim pro Germania, Hispania, Gallia, reliquisq́ue orbis Christiani Regnis; præcipuè autem pro Anglia, Patriâ dilectissimâ, tot iam miseriarum pondere oppressâ. Pro quibus omnibus & vitam se discebat in præsentiâ æterno Numini offerre, & preces in cælis oblaturum. Quærebat deinde, quo sibi ex more oculos ve-
 laret,

laret, pileolum nocturnum. Sed cùm reperiri tunc proprius nequiret, fuit è comitatu *Egmontij* nobilis quidam, qui suum ei interim submitteret: additis insuper duodecim pro carnifice denarijs, vt per illum post Patris mortem pileolum eundem reciperet, tam sancti capitis attactu sanctiorem sibi in posterum & cariorem futurum. Tandem verò sublatis in altum manibus, magno animi sensu pronuntiauit verba illa, *in manus tuas Domine commendo Spiritum meum*, percussoque pœnitentis ritu pectore, simul subductus est carrus, simul ille ab adstante clam Sacerdote, prout conuenerat, absolutus. Pependit sine motu vllo incondito quietissimè, donec è viuis excessisse constaret. Tum, vt fieri solet, dissectus in quatuor partes est, extracta & exusta viscera, reliqua corporis membra ad quaternas

vrbis

vrbis portas, caput verò ad pontem Londinenſem ſublimè affixum. Curauere autem Legati qui aderant, Comeſq́ue Egmontius, nemine magnopere obſiſtente, vt ſtrophiola varia recenti Patris cruore intingerentur, pectoriq́ue eiuſdem admouerentur.

Atque in hunc planè modum quem dixi, multitudine propemodum infinitâ miro quodam ſilentio magnoq́ue animorum motu inſpectante, exceſſit è palæſtrâ vitæ humanæ *P. Henricus Morſæus,* inuictus Chriſti pugil & multarum iam athleta palmarum: Vir is, vt breui complectar, qui verè coram Deo ambulauit, vt perfectus eſſet; is qui vbique *Chriſti bonus odor* fuit, plurimiſq́ue odor vitæ in vitam; qui diſciplinę ſemper ac regularum obſeruantiſſimus extitit, amans Crucis & laborum rectæ ac ſynceræ mentis per-

Virtutum eius anacephalæoſis.

petuò tenax, plenus zelo, plenus pietate; Qui hominibus peſte infectis dum ſuppare Martyribus charitate ſeruiret, tantùm non ipſe mortuus; qui ter fidei causâ in exilium eiectus, quater eodem nomine carceribus addictus, ſæpiùs ad ſubſellia Iudicum attractus, non niſi virtutum ac benefactorum reus; Qui varijs denique magniſque cum hoſte luctationibus, quaſi maioris pugnæ proludijs, ad victricem hanc palmam, palmaremque victoriam informatus, cùm reliquas vitæ partes laudatiſſimè egiſſet, in extremo hoc Actu & ſeipſo fortiter, & morte ſuperatâ vitam adijt immortalem. *Vtinam moriatur anima mea morte iuſti huius, & fiant nouiſſima mea illius ſimilia.* Amen.

CON-


CONCLVSIO.

HAbes, amice Lector, de his tribus Societatis nostræ Sacerdotibus, non quæ dici possent vel cuncta, vel pleraque; sed, quæ taceri non debuerunt, ex multis pauca. Nam nec ego, quæ habeo, omnia proferenda censui, & alia, mihi crede, prætereà sunt eodem pertinentia, quę impeditissima temporum nostrorum ratio tibi iuxta ac mihi inuidit, vetuitque hactenus sciri. Cum multis enim, quos vtpote in varijs Angliæ locis horum Patrum vitæ ac morum probè conscios, plurimarum de ijs rerum particularem habere notitiam constat, ne per literas quidem hucusque esse commercium licuit. Veruntamen, vt spero, vel ex his quæ scripta sunt, satis intelligi potest, non modò, quod

erat

erat ſcriptionis huius præcipuum caput, *mortis illorum cauſam* haud aliam extitiſſe, quàm *fidem, Sacerdotium, Religionem*; ſed & *vitam* quoque *religioſam* fuiſſe, *mortem glorioſam*. Quod reliquum eſt, pro eâ, quam Eccleſiæ decretis debeo, obſeruantiâ ac reuerentiâ, iterum profiteor, quæcunque de virtutibus & felici eorum exitu in hoc *Triplici Certamine* memoraui, non niſi fide auctoritateque humanâ (quod ad me quidem attinet,) niti: eiuſmodi videlicet, quæ ab eorum teſtimonijs naſci in re graui ſolet, qui & viri probi, & rerum de quibus teſtantur ſcientes ſint. Vtinam omnia ad maiorem Dei gloriam cedant.

FINIS.



APPRO-

165 FINE

APPROBATIO.

CErtamen triplex à tribus Sacerdotibus Societatis IESV in Anglia decertatum ad confirmandum fideles vtiliter diuulgabitur,

P. Coens S.T.L. Can. & Lib. Cens. Antuerp.



